Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1751)
Heft: 24

Artikel: Apologia Socratis contra calumnias Aristophanis
Autor: Zimmermann, J.
DOI: https://doi.org/10.5169/seals-394706

Nutzungsbedingungen
Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Mehr erfahren

Conditions d'utilisation
L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. En savoir plus

Terms of use
The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. Find out more

Download PDF: 13.10.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, https://www.e-periodica.ch

Apologia
SOCRATIS contra calumnias ARISTOPHANIS:

in qua simul, præter alia, adversus MAX. TYRIUM & J. CLERICUM ostenditur, male egisse præstantissimum Virum, quod caussam suam coram Judice non peroraverit.

Auctore J. ZIMMERMANNO.

I.

SApientiam, & virtutis studium, viam esse grassandi ad veram felicitatem, verissimum quidem est, si virtutis ipsius indoles atque natura spectentur. Hæc etenim mentem hominis clara perfundit luce, contra quasvis pernicioſas vulgi opiniones animum munit; omnes denique actiones ad rectam vivendi & agendi regulam revocat, atque dirigit. Hanc viam qui ingreditur, merito ab omnibus, qui vera rerum pretia norunt, est laudandus. At si ita loquimur virtutem in se spectatam contemplamur, vel ut clarius loquar, dicimus, quales fructus ferre deberet Sapientiæ & probitatis studium, si homines

tales eſſent, quales eos eſſe oporteret. Quod ſi enim multorum eorumque optimorum atque ſapientiſſimorum Virorum Fata conſideramus, liquebit, Viros de probitate morum, & Republica optime meritos, hominum malitiam quammaxime expertos eſſe. Nec hoc mirum; pauciſſimi mortalium ſapiunt, atque ſciunt, quid ſit naturæ convenienter vivere. Hinc illi, qui excuſſis plebis opinionibus, veritatis & virtutis ſtudio unice ſunt dediti, ſæpiſſime parvi æſtimantur. Quod ſi hoc a plebe tantum, quæ plerumque it, quo itur, non quo eundum eſt, fieret, non admodum mirandum eſſet. Sed cum experientia teſtetur, Viros optimos multa perpeſſos ab illis, qui auctoritate & qualicunque eruditione plurimum valebant, facile colligi poteſt, cur adeo pauci omni tempore fuerint, qui acerrimo ſtudio ad ſerena templa Sapientiæ contenderint. Ita enim plerique natura ſumus comparati, ut non tam virtutem ipſam, quam ea potius, quæ cum ea conjuncta eſſe deberent, amemus. Ingens numerus eſt Virorum doctiſſimorum, qui aſperrima experti ſunt fata; nemo autem inter Gentiles (de his enim præcipue hic nobis ſermo) qui Sapientia & morum probitate ſe commendarunt, clarior *SOCRATE*; nemo, qui acerbiora ob Sapientiæ ſtudium paſſus ſit fata. Hic Optimus Vir, & Sapientiæ humanæ ut *Val. Maximi* verbis utar, *terreſtre Oraculum*, non ſolum a plebe, cujus ineptas opiniones, vitamque averſabatur, ſed & ab illis, qui tum temporis literis operam dabant, Viris haud indoctis, at peſſimis, graviſſimis contumeliis affectus fuit. Argumento eſſe poteſt Comœdia impuriſſimi hominis *Ariſtophanis*, qui adſpectante, &

applau-

applaudente populo Virum integerrimum & de Civium ſalute optime meritum deridendum publice propinavit: Probare hoc inſuper poteſt, tragica, quam expertus eſt Eximius Vir, mors. Cum autem in eo ſimus occupati, ut Viros egregios falſo Atheismi accuſatos ſtrenue defendamus, æquum non ſolum ut idem officium ei præſtemus, ſed ut quæ ſpurciſſimus Poëta objecit examinemus. Cumque Illuſtris *Huetius* in notiſſimo libello de *imbecillitate Ingenii humani Socratem* inter *Scepticos* retulerit, ejus argumenta ſimul excutiemus & præter alia etiam oſtendemus, male feciſſe *Socratem*, quod cauſſam ſuam coram Judice non peroraverit. Neque dicet quis, fruſtra me hoc facere, cum nemo ſit vel leviter in Literis verſatus, qui putet *Socratem* jure Atheismi poſtulatum. Hóc enim non obſtat, quo minus partes illius ſuſcipiamus; dignus quippe eſt Vir Eximius, qui omni data occaſione laudetur, & contra Obtrectatores vindicetur. Hoc dum facimus, honeſtis cogitationibus immorabimur, & naſcetur exinde quidam deamandæ virtutis ardor. Accedit, quod nunquam defuturi ſint homines Diis iratis nati, qui nihil aliud poſſunt, quam meliores carpere. Interim non omnia, quæ in laudem *Socratis* dici poſſent adferemus, ſed ad noſtrum Inſtitutum quammaxime erimus intenti. Studioſos autem tanti Viri ad *Xenophontem*, *Platonem*, *Max. Tyrium*, *Stanlæum*, *Carpentarium*, *Clericum*, *Brukerum*, aliosque ablego.

II.

Sequar autem hic *ARISTOPHANEM*, qui *Socratem*, ut notum, in *Comœdia* cui titulus; *NUBES*, qua erat

impudentia publice proſcidit & perſtrinxit. Non examinabo, qua occaſione & quo tempore *Comœdia* ſit habita; omnia, quæ eo ſpectant, erudite ſunt excuſſa a D. Viris, qui ſplendidam Editionem *Ariſtophanis* ediderunt. Poſſunt autem accuſationis capita ad IV. referri, quæ *Ariſtophanes* Celeberrimo Philoſopho objecit: Primo in eo culpat *nimium Geometriæ & Aſtronomiæ Studium*; 2.) aſſerit eum *juſtum*, & *injuſtum* perinde habere, & *Artem Sophiſticam* exercere; 3.) accuſat eum, quod *adoleſcentes pecunia emunxerit*; & 4.) *nullum* plane ab eo agnoſci *Numen* calumniatur. Eamus per ſingula capita: Primum ergo objicit noſtro nimium *Geometriæ* & *Aſtronomiæ* ſtudium. Act. I. Sc. I. quærit *Phidippides* ex Parente:

Quidnam eſt mi Pater, iſthoc ædium?

Reſpondet *Strepſiades:*

Ψυχων σοφων τȣτ' ἐςι φροντιςηριον
Ἐνταυθ ἐνοικȣσ' ἀνδρες, οἱ τον ȣ̓ρανον
Λεγοντες ἀναπειθȣσιν, ὡς ἐςι πνιγευς
Κἀςι περι ἡμας ȣ̓τος· ἡμεις δ' ἀνθρακες.

Eſt animarum Sapientum Conciliabulum
In quo Viri habitant, qui de cœlo disputant
Et hominibus perſuadent, quod furnus ſiet,
Nosque ambiat, & quod nos carbones ſimus.

Act. I. Sc. II. quærit *Strepſiades*, quid agat *Socrates.* Reſpondet diſcipulus:

Modo Chærephontem interrogabat Socrates
Quot aliquis pulex ſaltaret pedes ſuos
Nam forte Chærephontis admomorderat
Supercilium, atque inde inſiluerat in caput

Socra-

Socratis. STR. *& quomodo iſthuc menſus eſt Senex?*
DI. *dexterrime: nam ceram liquefecit, & ei*
Duos immerſit capti pulicis pedes:
Refrigerato calceamenta adnata ſunt:
Quibus detractis Spatium rei dimenſus eſt.
Ibidem DI. *cum inquireret*
Lunæ vias & ambitus & intuens
Cœlum ore hiaret: forte e tecto deſuper
Felis cacavit nocturnus.
Ibid. DI. *in menſa ſparſit exilem Cinerem: & veru*
Incurvato mox apprehendit circinum.
Et pallium e palæſtra furtim ſuſtulit.
Verſu 200. ait *Strepſiades*: *Per Deum te quæſo*
Dic mihi quid hæc ſunt: Reſpondet diſcipulus
Aſtronomia hæc eſt. St. *Sed quid hoc?* DI.
Geometria St. *Sed quam ad rem ſiet hoc utile?*
DI. *Ad metiendum terram.*

Alia lubens ſilentio transeo. Nemo enim eſt, qui non animadvertat, atræ ſoluginis ſuccum eſſe, & meram æruginem quæ objicit impudentiſſimus hiſtrio. Quæcunque in os impudentis incidunt, effundit copioſe, ut populo corruptiſſimo placeret. Neque dubium etiam, quin potentiorum gratiam, & adplauſus, ſibi conciliare fuerit aggreſſus. Boni enim plerumque Regibus, & Principibus inviſi, & aliena Virtus ipſis formidoloſa eſt. In quo quam male egerit Poëta, nemo non videt. Hoc certe erat *oleum addere Camino.* Si inſanos Rhetorum, & Sophiſtarum clamores, ineptias, vitilitigandi pruriginem, perſtrinxiſſet, non vituperio, ſed laude dignus fuiſſet; cum notum ſit ejuſmodi animalia ſuperba, & disputacia adoleſcentium animos corrumpere, atque æquum

juſtumque præſertim eo, quo vivebat tempore, invertere. At partium ſtudia impediverunt Poëtam quo minus hoc faceret. Verum interim eſt, *Socratem* Geometriæ etiam, & Aſtronomiæ operam dediſſe, quod ſtudium vituperare demum is poterit, qui veræ Eruditionis guſtum non habet; præterquam enim quod mentis aciem mire acuant hæc Literarum ſtudia, ampliſſimum uſum habent in Societate Civili. At his Literis per omnem vitam ita vacare, ut ea quæ ad mentis emendationem pertinent, negligas parum rationi & prudentiæ convenit. Hoc autem morbo non laborabat *Socrates*. *Xenoph.* Lib. 10. cap. 7. teſtatur, eum *Aſtronomiæ vacaſſe*, quantum *ad menſium, dierum, feſtorumque cognitionem neceſſe eſſet*, ſeu ut *Plato* Lib. VII. de Legibus teſtatur, ut *Aſtrorum, Solis & Lunæ curſus atque ita dierum ordinem in menſium curriculo, & menſium anni curſum, tam ſtata atque convenientia feſtis ac Sacrificiis tempora haud ignorarent, non vero, quod dicto loco monet Xenophon, ut ea quæ non ſunt, in eodem ambitu ſydera, eaque vaga vel errantia, aut ipſorum a terra intervalla & circuitus cognoſceret.* Idem de *Geometria* ſenſit, eamque ex ſcito *Socratis* teneris adoleſcentium animis inſtillandam eſſe teſtes ſunt *Plato* & *Xenophon*, quorum loca diligenter adduxit Vir Lit. Elegantiorum longe peritiſſimus, *Ezech. Spanhemius* pag. 279. Edit. *Küſteri.* Confirmant hæc omnes, qui de dictis factisque *Socratis* aliquid memoriæ prodiderunt. *Euſebius* H. Eccl. Lib. XV. Sect. LXII. ex *Xenophonte* oſtendit, ut verbis ipſius utar; Ὁτι των Ἑλληνων ὁ σοφωτατος Σωκρατης τας ἐπι των προειρημενων φυσιολογια μεγαλα φυσωντας μωραινοντας ἀπεδειξνυεν, ὡς περι ἀχρηστα τω βιω και ἀκαταληπτα κατα-

καλαλειβομενος. Idem probat *Cl. Alexandr. Stromat.* Lib. I. In genere nota ſunt verba *Varronis* apud *Ciceronem*, *Acad. Quæſt. Lib. I. Sect.* 15. dicentis: *Socrates mihi videtur, id quod conſtat inter omnes primus a rebus occultis, & ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum Philoſophi occupati erant, avocaviſſe Philoſophiam, & ad vitam communem adduxiſſe; ut de virtutibus & vitiis, omninoque de bonis & malis rebus quæreret, cœleſtia autem vel procul eſſe a noſtra cognitione cenſeret, vel ſi maxime cognita eſſent, nihil tamen ad bene vivendum conferre.* Hic locus autem non ita eſt intelligendus, quaſi, aut ipſe prorſus diſciplinas illas negligeret, aut aliis negligendas eſſe juberet; ſed quod inprimis corruptis Civium ſuorum moribus medicinam adferre voluerit. *Xenoph.* libro citato apud *Euſebium* ait: Και πρωτον μεν περι αὐτων ἐσκοπει ποτερα πολε νομισαντες ἱκανως ἠδη τα ἀνθρωπινα ἐιδεναι ἐρχονται περι των τοιουτων φροντιζειν ἢ τα μεν ἀνθρωπινα παριεντες τα Δαιμονια δε σκοπουντες, ἡγουνται τα προσηκοντα πραττειν. *Et primum quidem in illis hoc ſpectabat, utrum ſe rerum humanarum abunde peritos eſſe rati, ad ſuperiores illas ſtudium curamque transferrent, an vero cum neglectis humanis divina rimarentur, ſuo ſibi munere officioque fungi viderentur.* Ex quo ſatis patet, quo temperamento uſus fuerit *Socrates.* *Duo* hîc notanda ſunt, quæ ſingularem Excellentiſſimi Viri prudentiam ſatis ſuperque oſtendunt. *Primum* eſt, quod voluerit, ut teneræ ætati prima *Geometriæ* Elementa traderentur, quod ſane conſilium optimum eſt. Ita enim ingenium humanum mature acuitur, atque præparatur, ad graviora ſtudia rite intelligenda, accuratiſſimeque examinanda. Hæc efficiunt, ut *Logomachias* ma-

ture evitent Juvenes, neque omnia ſtatim quæ traduntur, credant. Commendarunt hoc ſtudium noſtra ætate Viri Ingenio & Eruditione Nobiliſſimi, *Lokius*, *Malebranche*, *Werenfelſius*, *Wolfius*, *Crouſazius*, aliique, & magis hoc neceſſarium eſt, quam figuras Syllogismorum ad digitos numerare poſſe. At non omnes Scholarum Moderatores hoc intelligere vel poſſunt, vel volunt. Multi *mathematicas diſciplinas* ita horrent, ut pueri *Spectra*. *Secundum* quod in hoc Viro laudandum exiſtumamus, eſt quod ſtudia quidem præclare excoluerit, ita tamen ut probitatis morum primam & præcipuam habuerit rationem. Multi Eruditi in eo communiter peccare ſolent, quod cum præcipuo quodam ſtudio unam atque alteram ſcientiam excolant, ea tamen plerumque, quæ ad mores pertinent, vel negligant, vel parum curent. Multos ex iis, qui humaniores, uti vocantur, Literas ſtudioſe pertractarunt, in hoc graviter impegiſſe, hiſtoria rerum inter Eruditos geſtarum abunde docet. Alii non tantum ea, quæ ad Ethicam pertinent, negligunt, ſed omnia alia ſtudia, quibus nunquam vacarunt, ſpernunt. Quicquid autem ſit de cultura hujus vel illius ſtudii, alienum certe a ratione eſt, velle immorari iis, quibus ingenii acumen & nominis fama paratur: negligere autem ea, quæ ad conſequendam mentis tranquillitatem & ſalutem facere poſſunt. Multi v. gr. Rabbinicis aut Antiquitatis ſtudiis inhiant, qui per omnem vitam vix unquam Compendium Ethicum evolverunt. Ita neſciunt mortales vera rerum pretia æſtimare. Neque dubium itaque, quin *Socrates* merito in hoc negotio ſingulare Sapientiæ ſuæ exhibuerit Specimen.

III.

III.

At redeamus ad Objectiones *Ariſtophanis*. *Secundum* crimen quod *Socrati* objecit eſt, quod is nonſolum *juſtum* & *injuſtum* perinde habuerit; Sed & quod peſtilentiſſimum hunc errorem Adoleſcentibus inſtillaverit. Act. I. Sc. I. *Strepſiades* ita loquitur:

Οὗτοι διδασκουσ' ἀργυριον ἤν τις διδῳ
Λεγοντα νικαν και δικαια κἀδικα

- - - - *Hi*
Docent, ſi modo quis argentum illis det, hominem
Orantem cauſſas, æquum & iniquum vincere.

Et ne obſcurum ſit, quos intelligat *Phidippides* ait:

- - - τους ἀλαζονας
Τους ὠχριωντας, τους ἀνυποδητους λεγεις
Ὧν ὁ κακοδαιμων Σωκρατης και Χαιρεφων

Paulo poſt hæc verba ait Strepſiades:

Εἰναι παρ' αὐτοις φασιν ἀμφω τω λογω
Τον κρειττον' ὁς τις ἐστι, και τον ἥττονα·
Τουτοιν τον ἑτερον τοιν λογοιν, τον ἥττονα
Νικαν λεγοντα φασι ταδικωτατα·
Ἢν οὖν μαθῃς μοι τον ἄδικον τουτον λογον·
Ἃ νυν ὀφειλω δια σε τουτων των χρεων
Οὐκ ἂν ἀποδοιην οὐδ' ἂν ὀβολον οὐδενι. i. e.

Ajunt penes illos eſſe ſermonum duo
Genera: unum ſuperius & inferius alterum.
Et ex his alterum ſermonem, qui ſiet
Inferior, vincere perorando iniquiſſima:
Quod ſi ergo injuſtum hunc ſermonem addiſcas mihi
Horum ne obolum quidem cuiquam ego perſolvero.

Infra inducitur *Philippides*, probaturus, jure poſſe Parentem *Strepſiadem* a ſe filio verberari, imo ὐκ ἐιναι παυυ δικην; unde etiam Judices Athenienſes ei objecerunt, quod eſſet τον ἡττω λογον κρειττω ποιων, και ἀλλυς ποιων. Vide cumprimis *Actum tertium. Scenam II.*

Quod ſi impactum hoc Crimen ex monumentis Veterum poſſet probari, actum eſſet de exiſtimatione *Socratis*. Quid enim peſtilentius excogitari poſſet, ad animos hominum pervertendos, & discordiarum ſemina ſpargenda hoc errore? ſane hac ratione omnia Societatis vincula rumperentur, nec eſſet hoſpes ab hoſpite, frater a fratre tutus. At notiſſimum eſt, *Ariſtophanem* κωμωδειν. Is certe & alii ei ſimiles Poëtæ, artem juſtum & injuſtum perinde habendi callent. Specimen hîc ante oculos habemus: novit rethores ſui temporis de quavis re in utramque partem disputaſſe: hoc vero non tangit, ſed innocentiſſimum Virum a crimine hoc alieniſſimum acerbiſſime perſtringit. Quid autem hoc aliud eſt, quam τον ἡττω λογον κρειττω ποιειν? Sophiſtas autem hoc morbo tum temporis laboraſſe notum eſt; audiamus quædam teſtimonia. *Socrates* ipſe apud *Platonem* in *Euthydemo* pag. 272. de iis ait: Ουτω δεινοι γεγονασιν ἐν τοις λογοις μαχεσθαι τε και ἐξελεγχειν το ἀει λεγομενον ὁμοιως, ἐαν τε ψευδος, ἐι τ' ἀληθες ἡ. i. e. *Tanta in dicendo facultate valent, ut & decertare, & id quod in medium adfertur refutare poſſent, ſeu verum ſit, ſeu falſum:* De *Protagora* ait *Gellius* lib. 5. cap. 3. *Is tamen Protagoras inſincerus quidem Philoſophus, ſed acerrimus Sophiſtarum fuit, pecuniam quippe ingentem, quum a diſcipulis accepiſſet annuam, pollicebatur, ſe id docere,*

re, quanam verborum induſtria cauſſa infirmior fieret fortior, quam rem græce ita dicebat τον ἡττω λογον κρειττω ποιειν. De Gorgia Leontio refert Cicero libro 2. de Fin. De quacunque quæſtione dicere ſolitum in conventu poſcere quæſtionem, id eſt jubere dicere, qua de re quis vellet audire. Audax, addit Cicero, negotium: dicerem impudens, niſi hoc inſtitutum poſtea translatum ad Philoſophos noſtros eſſet. Sed & illum, quem nominavi & cæteros Sophiſtas, ut e Platone intelligi poteſt, luſos videmus a Socrate. Plutarchus quæſt. Plat. initio de hisce temporibus loquens ait: Και γαρ ὡσπερ ἐκ τυχης τοτε φοραν γενεσθαι συνεβη σοφιστων ἐν τη Ἑλλαδι, και τυτοις οἱ νεοι πολυτελυντες αργυριον ὀιηματος ἐπληρυντο και δοξοσοφίας και λογων ζηλυ σχολην και διατριβας ἀπραντυς ἐν ἐρισι και φιλοτιμιαις ἀγοντες, καλον δε και χρησιμον ὐδ' ὁτιυν. i. e. *Ea tempeſtate quaſi fortuna quadam Sophiſtæ in Græcia proveniebant frequentes; quibus multa numerata pecunia implebantur adoleſcentes ſuperbia, ſcientiæ opinione, ſtudio diſputandi, ita ut otioſi & inertes in rixis, & contentionibus ambitioſis tempus tererent.* Longe aliter de *Socrate* loquitur *Xenophon Memorab.* Lib. I. Cap. I. *quod ille ſemper de rebus humanis diſſereret* τι δικαιον τι ἀδικον· *conſiderans quid pium eſſet, quid impium, quid honeſtum, quid turpe, quid juſtum, quid injuſtum.* De ſemet ipſo loquens in *Apolog. apud Plat. pag.* 12. ait: ὐδεν γαρ ἀλλο πραττων ἐγω περιερχωμαι ἡ πειθων ὁμως και νεωτερυς και πρεσβυτερυς μητε σωματων ἐπιμελειθαι μητε χρηματων προτερον, μητε ἀλλυ τινος ὑτω σφοδρα ὡς της ψυχης, ὁπως ὡς ἀριστη ἐσται λεγων ὁτι ὐκ ἐκ χρηματων ἡ ἀρετη γινεται, ἀλλ' ἐξ ἀρετης χρηματα, και τ' ἀλλα ἀγαθα τοις ἀνθρωποις ἁπαντα και ἰδια και δημοσια. Et quid opus pluribus verbis? Audiantur

Plato,

Plato, *Xenophon*, Veteres in univerſum omnes, qui præceptorum ipſius memores ſunt. Impudentiſſime igitur calumniatus eſt Optimum Virum, *Ariſtophanes*. Hæc autem calumnia eo erat mordacior & virulentior, quod *Socrates* ſua disputandi ratione, homines parum gnaros, in ſuſpicionem hujus rei addoxit. Notum enim eſt, eum in congreſſu & *familiaribus Colloquiis* perpetua uſum eſſe *Ironia*: ſolebat nimirum, ne eos, quibuscum disputabat, offenderet, perpetuam ignorantiam opinionum, de quibus agebatur, præ ſe ferre, & per varias quæſtiones eos vel invitos ad erroris confeſſionem adducere, quod ſane iis, qui non ſatis in hac re exercitati erant, ſuſpicionem poterat injcere, eum utramque in partem disputando gloriam quærere, at quamvis forte unus vel alter literarum rudis in eam devenerit cogitationem; dubitandum tamen non eſt quin *Ariſtophanes* Vir haud indoctus, probe ſciverit, quo animo hoc feciſſet *Socrates*, cum in publicis conventibus, & in magna frequentia, de hac re diſſereret.

IV.

Poſſemus hic ſubſiſtere & ad tertiam objectionem examinandam progredi; Sed cum ante aliquot annos Vir Cl. P. D. *Huetius* in libello poſthumo de imbecillitate ingenii humani, probare aggreſſus eſſet, *Socratem Scepticum* fuiſſe, audiendæ ſunt, Viri D. rationes: loquitur autem pag. 105. ita: *Socrate ayant remarqué, que les Hommes ne ſcavent rien, il le declara hautement & fit profeſſion de ne rien ſcavoir, & il crut, que ce fût par la qu'il merite l'eloge, qui lui fut donné par l'Oracle d'Apollon d'être le plus ſage de tous les homes; Le ſouverain point*

de

de la Sageſſe étant de reconoitre ſon Ignorance. Cum autem non ignoraret Eruditus Præſul, diſſentientes ad conſuetam Socrati Ironiam provocaturos ita reſpondet pag. 106. *quelques uns ont pretendu, qu'il ne parloit pas ſincerement, lors qu'il tenoit ce langage, mais par Ironie ou par Modeſtie pour rabbatre la vanité des Sophiſtes, qui ſe vantoient follement de ne rien ignorer & d'etre toujours prets de discourir ſur toutes ſortes de matiére: Si cela eut été ainſi il n'eut perſeveré ſi conſtament dans l'aveu public, qu'il faiſoit de ſon ignorance, principalement, lors qu'il parloit a ſes amis, & a des gens graves & ſerieux & lors qu'il n'y avoit nulle occaſion de decrier les Sophiſtes. Il n'eut pas examiné toutes choſes comme il avoit coutume de faire conformement à cette doctrine, & il n'eut pas donné une ſi fauſſe interpretation, & ſi contraire a ſes ſentiments, a l'Oracle, qui avoit rendu temoinage a ſa Sageſſe:* ita *Huetius.*

Reſpondemus, verum eſſe, *Socratem* non ſemel dixiſſe ſe nihil ſcire. At quæritur utrum hæc propoſitio ita ſit intelligenda, ut ea denotare voluerit *Socrates*, plane nullum dari Veritatis Criterium, an vero per modeſtiam, & reſpectu habito ad Eruditos ſui temporis ita fuerit locutus. Poſterius nobis vero ſimilius videtur Prius: non item. Rationes ſunt ſequentes: *Primo* ubique *Socrates* hunc eſſe Sophiſtarum morem contendit, ut nihil certi definientes, utramque in partem ſine ullo certo fundamento disputent. Legatur integer Dialogus *Platonis Euthydemus*, in quo Sophiſtas ob id reprehendit, quod ſi in eodem hæſiſſet luto, qua fronte tandem alios reprehendere potuiſſet? 2. ex ipſa lectione *Platonis* & *Xenophontis* conſtat,

conſtat, eum in rebus moralibus certitudinem admiſiſſe. Ita demonſtravit exiſtentiam Numinis, ejus Omniſcientiam, Providentiam, de quo, cum Religionem ipſius examini ſubmittemus, prolixius agemus. Agnovit dari leges naturales, & discrimen eſſe intrinſecum inter juſtum, & injuſtum. En locum ex *Xenoph.* Lib. 4. p. 508. *Itaque ego o Hippia idem dico juſtum, atque legibus obtemperare, quod ſi tu aliter ſentias profer; at Hippias recte neque mihi ſecus de juſto eſt ut ſentiam. Non ſcriptas autem quasdam o Hippia cognoviſti eſſe leges? has, inquit, quæ quidem ubivis locorum ſimiliter habentur, putasne tu igitur eas eſſe ab Hominibus latas? At id quonam pacto, cum neque in unum omnes convenire poſſint, neque unius ſint linguæ? quos igitur tu putas has leges tuliſſe? Ego quidem Deos putem hominibus easdem dediſſe leges, nam Lex quidem apud omnes homines una eſt, ut Deos colas, & ut Parentes item honores ubique jubet lex, ait: & hoc inquit, neque Parentibus licere commiſceri cum liberis nec liberis cum Parentibus. Non mihi videtur o Socrates iſta eſſe divina iex. Quidni? quoniam inquit Hippias ſentio quosdam eſſe ejus transgreſſores. Reſpondet Socrates equidem cætera permulta transgrediuntur, ſed ſuppliciis afficiuntur, qui a Diis impoſitas leges transgrediuntur, quæ quidem nullo modo homines effugere poſſunt, veluti, qui ab hominibus poſitas transgrediuntur, tum quod lateant, pœnam effugiunt, tum quod vi ſuperant. &c. &c.* Hic locus ut innumera taceam ſatis oſtendit, *Socratem* credidiſſe dari quasdam leges divinas ratiocinatione ſola colligendas, easque vel pœnam, vel præmium ſequi. De his utramque in partem methodo Scepticorum non disputavit. Neque credidit cum iis, nullum dari inter juſtum & injuſtum discrimen,

crimen, ſed earum legum vinculum ab exiſtentia, & voluntate Numinis prudenter repetit. Hinc in *Eutyphrone* apud *Platonem* p. 8. ait: *Neminem quærere vel dubitare, quin is, qui alium interfecerit, injuſtitiam commiſerit, de circumſtantiis tantum dubia oriri:* verba græca ita ſonant: Ἀνθρωπων - - ἠδη τινος ἡντινα ἀμφισβητουντος ὡς τον ἀδικως ἀποκτεινοντα, ἡ ἀλλο ἀδικως τι ποιουντα ὁτιουν, ἁ δει διδοναι δικην - - - ἀλλ' ἐκεινο ἰσως ἀμφισβητουσι το τις ἐστι ὁ ἀδικων, καὶ τι δρων καὶ ποτε. Unde *Illuſtris Vir* hypotheſeos defendendæ nimio abreptus fuiſſe videtur ſtudio. Neque tamen diffitendum, eum teſtem pro ſe *Ciceronem* citare qui *Acad. Quæſt.* Lib. 4. Sect. 74. ſub perſona Philoſophi Academiæ novæ addicti, ita ait: *Parmenides, Xenophanes, minus bonis quanquam verſibus, ſed tamen illis verſibus increpant eorum arrogantiam quaſi irati, qui cum ſciri nihil poſſit, audeant ſe ſcire dicere. Et ab his ajebas removendum Socratem & Platonem. Cur? an de ullis citius poſſum dicere? vixiſſe cum his equidem videor: ita multi ſermones perſcripti ſunt, e quibus dubitari non poſſit, quin Socrati viſum nihil poſſe ſciri. Excepit unum tantum, ſcire ſe, nihil ſe ſcire:* Reſpondemus ad h. l. *primo* obſervandum hominem loqui, qui ſimili errore deluſus veteres quosvis Scepticos fuiſſe probare ſuſtinuit. Sect. XV. ejusdem libri *Socratem & Platonem* e numero Scepticorum eximit *Cicero.* Imo *Acad. Quæſt.* Lib. I. Sect. 15. præclare explicat qua ratione illud nihil ſcire intellexerit: *Socrates inquit, in omnibus fere ſermonibus, qui ab iis, qui illum audierunt perſcripti varie copioſe ſunt, ita diſputat, ut nihil affirmet ipſe, refellat alios: nihil ſe ſcire dicat niſi id ipſum, eoque præſtare cæteris, quod illi, quæ neſciant, ſcire ſe putent; ipſe ſe nihil*

ſcire,

ſcire, id unum ſciat: ob eamque rem ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum eſſe dictum, quod hæc eſſet una omnis Sapientia non arbitrari ſeſe ſcire, quod neſciat. Hæc ultima verba ſatis declarant, quo ſenſu dixerit *Socrates* ſe nihil ſcire: nimirum tanquam *prudens Philoſophus* animadvertebat cognitionem noſtram arctis eſſe circumſcriptam limitibus, atque adeo ineptos eos eſſe, qui ob qualemcunque cognitionem rerum altos gerunt ſpiritus. (2.) neque exiſtimandum, ſi quando *Socrates* apud *Platonem* cumprimis dubitanter loquitur, univerſalem eum ἐποχὴν adprobare. *Plato* tortuoſo dicendi genere uſus ſine dubio prouti e re ſua eſſe putavit, induxit loquentem *Socratem.* (3.) tandem ex univerſa *Philoſophiæ Socraticæ* ratione & indole eſſet demonſtrandum, quod aut aperte *Scepticismum* defenderit, aut ſaltem ita ſermonem ſemper inſtituerit, uti palam conſtet, eum non credidiſſe dari certum aliquod veritatis Criterium. Hoc autem vix ex veterum monumentis certo poterit probari. Nullus autem dubito, quin ſingularis illa ratiocinandi methodus, qua uſus eſt, in cauſſa fuerit hujus ſuſpicionis: interim in ipſa ratiocinationis ejus methodo haud pauca adſunt veſtigia, ſententiæ quam defendimus: ita *Xenoph.* libro 4. ait: *cum ipſe aliquid oratione percurrebat, per ea progrediebatur, quæ maxime eſſent in confeſſo, quod eſſe hunc modum tutum exiſtumaret ratiocinandi. Itaque cum aliquid dicebat omnium maxime quos ego novi Auditores ut adſentirentur efficiebat, ſi ea, de quibus ei conveniebat cum eo quicum colloquebatur, eſſent vera, tum vero juxta hanc methodum vera & recta erat ratiocinatio, ſin minus argumentatio, quæ a Dialecticis ad Hominem vocatur, cujus interdum ma-*

jor

jor eſt efficacia quam veræ demonſtrationis. Scio quid oppoſiturus ſit *Illuſtris Præſul*: nimirum concedet, Socratem ex iis concludere, quæ ſibi ad adverſariis conceſſum iri, animadvertiſſet; at quæri, utrum hæc ipſa, quæ concedebantur, ab ipſo pro immotæ veritatis principiis habita fuerint nec ne. Reſpondemus autem non pauca dari veſtigia, ex quibus pateat, eum, ea in ratiocinando præſtruxiſſe fundamenta, quæ pro certis ipſemet habuit. Ex. gr. apud *Xenoph.* Lib. 2. pag. 464. occurrit colloquium, quod habuit cum filio ſuo *Lamprocle* minus æquo animo acerba convicia matris ferente. Quærit igitur ex filio, utrum exiſtumet, ingratum animum eſſe peccatum; quod cum conceſſiſſet filius, oſtendit, eum graviter peccaturum Deosque & homines iratos habiturum, ſi matrem iræ impetum non ſuſtinentem, minus coleret. Apparet ex hoc, fundamenti loco poſuiſſe *Socratem*; ingratum hominem contra legem agere. Quamvis autem hæc propoſitio non ſit ex veritatibus primo primis, ut ita dicam, petita; tamen eſt ex propoſitione certiſſima, evidentiſſimaque, quæ non minus videtur certa, quam illa Geometrarum, omnes anguli trianguli ſimul ſumti, æquales ſunt duobus rectis: quæ itidem ex certiſſimis axiomatibus conſtat. Neque inſuper, quod tamen contendit *Huetius*, credibile eſt, *Socratem* in familiaribus ſemper colloquiis ita locuturum fuiſſe, ut perpetuam ſectari videretur σκεψιν. Certe in *Xenophontis OEconomico* non ſemel depoſita εἰρωνευομένος perſona ſine ambagibus animi ſui profert cogitata, id quod ſupra de Ignorantiæ confeſſione ex *Ciceronis* interpretatione audivimus, conſtat. Idem confirmat *Plato* in *Theæteto* dicens:

Κινδυνευει τω ὀντι ὁ Θεος σοφος ειναι, και ἐν τω χρησμω τυτω τυτο λεγειν, ὁτι ἡ ἀνθρωπινη σοφια ὀλιγυ τινος ἀξια ἐστι και ὑδενος. Και φαινεται τυτο λεγειν τον Σωκρατην προσκεχρηθαι δε τω ἐμω ὀνοματι, ἐμε παραδειγμα ποιυμενος. Ὡσπερ ἀν ειποι ὁτι ὑτος ὑμων, ὡ ἀνθρωποι, σοφοτατος ἐστιν ὁστις ὡσπερ Σωκρατης ἐγνωκεν ὁτι ὑδενος ἀξιος ἐστι τη ἀληθεια προς σοφιαν. i. e. *Solum ergo Deum eſſe vere ſapientem, & in Oraculo illo hoc dicere putabat, humanam Sapientiam parvi, imo nihili pendendam eſſe; quod vero Socratem dixiſſet, uſum eſſe ſuo nomine, & Exempli inſtar ipſum protuliſſe; quaſi dixiſſet: Is demum veſtrum ô Homines, ſapientiſſimus eſt, qui ut Socrates, intellexit, ſe revera nullius eſſe pretii, ad Sapientiam quod attinet.* Confer J. *Clericum Sylv. philolog.* p. 194. Atque hæc de *Scepticismo Socratis* ſufficiunt. (*)

V.

Transeamus ad tertiam *Ariſtophanis* objectionem, ſeu Calumniam potius audiendam: objicit *Socrati* quod diſcipulos pecunia emungere ſoleat.

Act. I. ſc. I.

Ὀυ∫οι

(*) Addendum hisce: *Socratem*, dum de Ignorantia noſtra locutus eſt, ut plurimum ad quæſtiones phyſicas reſpexiſſe. Notum enim eſt Præceptores, quibus uſus eſt Vir Summus, ut plurimum de origine adſpectabilis mundi diſſeruiſſe, neque tamen certi quid attuliſſe. Notum inſuper *Socratem* cum *Heraclito* credidiſſe, corpora in perpetuo fuiſſe fluxu, atque adeo perpetuæ mutationi eſſe obnoxia.

Οὗτοι διδασκεσ', ἀργυριον ἤν τις διδῳ,
Λεγοντα νικαν και δικαια κἀδικα.

Hinc *Strepſiades* cum *Socrate* colloquens, inquit; Μισθον δ' ὁντιν' ἂν πραττη μ', ὀμεμαι σοι καταθησειν τους Θεους, *mercedem me dare quamcunque pactus fueris teſtor Deos.* Ad verba v. 98. *Scholiaſtes* hæc habet: Και τελο ψευδος, διαβολης χαριν. Οὐδεις μισθον ἐτελει Σωκρατει. Ἐπει ἐκεινος ἐφασκε μηδεν εἰδεναι. Διοπερ και ὑπο Πυθιᾳ σοφος ἐκριθη. Τελο γαρ αὐτᾳ πρωτον ἐκρινεν εἰναι σοφον. Το γνωρισαι ὁτι μηδεν οἰδε. Πως ἂν αν μισθον ἐπραττελο παρα των συνοντων ὁ λεγων περι αὐτᾳ ὁτι ἀδεν οἰδα. Quam vera hæc ſint, ex antecedentibus patet, neque etiam ſi verum eſſet, recta eſſet defenſio. Hinc rectiſſime D. *Küſterus* ad hæc Scholiaſtis; *Male rationem concludit Scholiaſtes, ſi hoc ſolo argumento, quod Socrates dixerit ſe nihil ſcire, evinci poſſe putat, eum malam mercedem a diſcipulis ſuis exegiſſe, utpote qui nihil haberet, quod eos docere poſſet. Nam docendi utique & inſtituendi ſunt Juvenes, antequam ratione ſcire poſſint, ſe nihil ſcire. Docta quippe hæc ignorantia eſt, ad quam ut perveniatur, & diſciplina & multarum rerum ſcientia opus eſt. Nimirum ſapiens cum dicit ſe nihil ſcire; ſcientiam ſuam cum tota rerum natura comparat, cujus tantam eſſe immenſitatem videt, ut ſcientiæ ſuæ modulum cum ea collatum ne puncti quidem vicem obtinere facile intelligat. Eadem ſcientia magna eſt, & ſuſpicienda, ſi comparetur cum captu vel potius ignorantia & falſa opinione aliorum hominum, qui ob hoc ipſum, quod revera nihil ſciant,*

nec unquam cogitatione ſua arctiſſimos Senſuum limites transcenderunt, multa vel potius omnia ſe ſcire putant. Ita rectiſſime *Küſterus.* At ut directe Calumniatorem aggrediamur, dicimus nihil magis a moribus *Socratis* alienum fuiſſe, quam hoc. Hinc illam μισθαργιαν apud *Platonem* ſæpiſſime exagitat, ut in *Euthydemo* pag. 304. aperte de *Sophiſtis* ait *Socrates*, quod Comicus objicit διδαξαι τον ἐθελοντα ἀργυριον ὀφναι. Apud *Xenoph.* memorab. Cap. 2. Sect. 7. de *Socrate.* Ἐθαυμαζε δε αν τις ἀρετην ἐπαγγελλομενος, ἀργυριον πραττοιτο, *mirum ipſi videbatur eum, qui virtutem profiteretur, pecuniam exigere.* Notum eſt illud Colloquium, quod habuit cum *Antiphone*, ipſum reprehendente, quod mercedem non poſtularet: confert eos, qui mercede accepta diſciplinas alios docent, cum formoſis puellis, ſtupro corporis elegantiam formæ aliis communicantibus, ſe vero cum eleganti puella virtutis amore Viro probo nubenti. Tandem etiam accedit *Laërtius* lib. 2. dicens: μισθον τε ὀδενα εἰσεπραξατο *mercedem nullam exigebat, nempe a diſcipulis, quem antea dum in Officina lapidaria adhuc ageret, ſtipes ad uſum vitæ neceſſarias cepiſſe, idem dixerat Laërtius.* Imo tantum aberat, ut accepiſſet a diſcipulis pecuniam, ut etiam dona ab amicis & divitibus oblata reſpueret: teſtatur id *Ælianus* Var. Hiſt. 9. cujus verba latine tantum dabo. *Alcibiades ambitione quadam munificus complura magnaque dona Socrati dono miſit. Cum ergo Xantippe miraretur donorum amplitudinem, & ea cuperet accipere, dixit Socrates, quin & nos certemus liberalitate cum Alcibia-*

de.

de, & ea quæ ab ipſo mittuntur non capiamus ad declarandam & noſtram animi magnitudinem. Hinc *Alcibiades* ipſe in Convivio ait; *Socratem* difficilius pecuniis quam *Ajacem* ferro domari poſſe. Eum autem morem ſervabat *Socrates*, ne Sophiſtas pecuniæ ſtudio deditos, imitaretur, & quod innoxia naturæ deſideria ſequens, paucis eſſet contentus vitæ adminiculis. Hoc ultimum teſtatur *Xenoph. Mem.* Lib. I. *Nam usque adeo*, inquit, *frugalis erat, ut haud ſciam num quis lucrum tam exiguum labore ſuo faceret quod non alendo Socrati ſufficeret. Quippe Cibi tantum ſumebat, quantum jucunde comederet. Ad eam ſic paratus accedebat, ut ſi deſiderium obſoniorum ei eſſet. Etiam quivis potus ei gratus erat, propterea quod non biberet, niſi ſitiret. Si vero nonnunquam invitatus ad cœnam vellet accedere, tum id, quod difficillimum eſt, plurimis, cavere ſcilicet ne quis ſe repleat ulterius quam commodum ſit, ipſe perquam facile cavebat. Illis autem qui hoc facere non poſſunt, auctor erat, ab iis, ut ſibi caverent, quæ ſuadent, ut tametſi quis non eſuriat, nihilominus tamen edat, ac non ſitiens bibat.* Quod ſi tamen *Socrates*, qua erat paupertate, vel maxime mercedem oblatam accepiſſet, ut vitam toleraret, atque ſuſtentaret facilius, an dignus fuiſſet, ut tanta verborum acrimonia eum exciperet Comicus aliquis, quorum mos eſt, muſcarum inſtar, culinas ſectari, & aliena vivere quadra? quid ſi noſtris temporibus vixiſſet *Ariſtophanes*, quo plerique docentes ita pecuniæ inhiant, ut vel ob hoc unum ad literas animum adjunxiſſe videantur? Utinam adoleſcentuli nunquam grandi pretio difficiles emerent nugas! at de his jam quidem nos non agimus.

VI.

Pervenimus tandem ad quartam eamque graviſſimam calumniam. Contendit *Poëta* Philoſophum noſtrum *Numen tollere*, *Deos patrios* rejicere, & *novos Deos* introducere. Act. 3. Sc. I. *Strepſiades:*

Ecce autem, ecce Jovem Olympium; quæ inſania
Te iſthac ætate credere, eſſe aliquem Jovem.
Ph. *Quid tu iſthoc rides quod verum eſt?* St. *quia video*
Te eſſe puerum, & ſapere Senum deliria.
Ph. *Quid eſt.* St. *Juraſtin' modo nunc Jovem?*
Ph. *Equidem.* St. *Viden ergo quam bonum ſit diſcere?*
Ah mi Phidippide, non, non eſt Jupiter.
Ph. *Quis ergo alius?* St. *Turbo imperat expulſo Jove.*
Ph. *Papæ, quas tu nugas agis?* St. *Atqui iſthuc ſcias*
Ita ſe habere. Ph. *Quis hoc dicit?* St. *Noſter Socrates.*
Et Chærepho, qui novit paſſus pulicum.

Denuo eodem loco *Socrates* ad *Strepſiadem* μη λη-ρησης, ὅτι ἐστι Ζευς. Act. V. Scena III. ait: *Strepſiades:*

Me miſerum & ſtupidum; quantum inſanivi modo
Quod Socrati credens, abjeci omnes Deos.

Act. I. Scen. 4. & ſequentibus objicit *Socrati*, quod *ſolas nubes* pro Diis habeat; fulmina, tonitrua, aliaque inſolita cœli φαινομενα, nubium caſu cadentium & in ſe irruentium motui adſcribendo. Unde patet *Ariſtophanem* non tantum eum ſpreti cultus publice recepti impugnare; ſed ſimul tueri velle, eum omnis Religionis hoſtem eſſe. Vide Act. I. Scen. IV. ibi *Strepſiades:*

Sed

Sed quæſo unde ignitum illud fulmen decidit? hoc doceas me. Nam feriens nos & frigore percellit & amburit: & æquus Juppiter hoc ipſum in perjuros celſa jaculatur ab arce. SO. *Et quomodo (tu fatue & Lunatice qui Saturnia oles) ſi perjuros fulmine plectit, quomodo non etiam ille Simonem atque Theorum, atque Cleonymum eodem ſacro percutit igni? quandoquidem ſupra modum & illi perjuri: ſed in ædem ipſe ſuam ſurit & concutit, aut excelſa cacumina Suni aut rigidas quercus. Quid ab his patitur? numnam pejerat ilex?* In ſequentibus clarius adhuc loquitur *Strepſiades*, *edoctus ſcilicet a Strepſiade* ita *Socrates*: *Ergo jam nihil aliud Deum eſſe credes numina præter hæc noſtra Chaos, Nubes, & Linguam tria primordia rerum.* St. *Imo aliis Diis ne loquar ego quidem (licet offerar ipſis obviam) neque ſacrificem, neque litem, neque thus ingeram in aras.* Verbo de effectibus, quos ſolent edere nubes, tonitrua, loquitur, vel loquentem potius inducit *Socratem* Comicus uti ſolent illi, qui prorſus omnem Numinis & exiſtentiam & providentiam rejicere ſolent. Vide *Illuſtris Spanhemii Obſervat.* ad Act. I. Sc. 4. Adde ejusdem notas ad v. 125. *Pluti*, ubi alia loca ex *Æſchylo* adducit, ex quibus omnibus patet, *Ariſtophanem* voluiſſe oſtendere, *Socratem* ſacra & profana perinde habere, licet *Plato* & *Xenophon* in eo potius cauſſam ipſius tueantur, quod non neglexerit aut publice proſcripſerit Deos patrios.

VII.

Juvat igitur hæc omnia diligenti ſubmittere examini atque diſpicere, utrum Numen omne ſuſtulerit *Socrates*. Apud *Xenoph.* Lib. 4. pag. 503. edit. Baſ. *exiſtentiam* & *Providentiam* Numinis aper-

te fatetur: ita enim ex verſione *Beſſarionis* loquitur *Socrates: Dic mihi o Euthydeme, venitne tibi unquam in mentem, quomodo diligenter omnia Dii immortales, quibus indigeant homines, crearunt?* Ac ille. *Non ædepol ait. Non ſcis, inquit, quod cum luce egeamus, hanc Dii nobis præbuerunt? ita ait mehercle: quæ ſi non eſſet, nihil inter nos & cæcos intereſſet, quod ad oculos quidem attinet. Atqui cum quiete etiam indigeamus, noctem nobis, quietis optimum tempus fecerunt. Hoc igitur, inquit, omnino gratiarum actionem meretur. Sol vero cum lucidus ſit horas diei cæteraque omnia nobis declarat. In nocte vero cum ipſa tenebroſa ſit, ſtellas in cœlo fixerunt, per quas horis noctis nobis notificatis, multa, quæ oportet, agimus. Ita eſt, ait. Ac luna quidem non modo noctis, ſed etiam menſis partes nobis manifeſtat. Vehementer ait. Quod autem cum nutrimento nobis opus eſſet, inquit, hoc e terra nobis Dii produxere, ac tempora ad iſtud congrua præbuere, quæ nonſolum quibus indigemus multa atque diverſa, ſed etiam quibus delectaremur, afferrent. Quid tibi videtur? Magnæ, ait eſſe, Clementiæ. Quod autem aquam quoque nobis rem pretioſam præbuerunt, plantis ad augmentum una cum terra aptiſſimam, nobis cum aliis ſimul cibariis nutrimentum, quæ cum miſceatur alimentis, parabiliora, utiliora ac delectabiliora ea facit: & quoniam plurimum ejus indigemus eam ſuppeditat nobis abundantiſſimam? & hoc ait, Providentiæ eſt. Quod autem ignem, inquit, nobis dederunt, frigus arcentem, tenebras diſſolventem, ad omnem artem omniaque utilitatis gratia hominum facienda cooperantem? nihil enim illorum, ut uno verbo dicam, quæ ad vitam humanam utilia ſunt, homines abſque igne faciunt. Excellentis Bonitatis eſt, ait, atque clementiæ. Quod autem Sol cum hyemale ſolſtitium attingat, ad nos rurſus*

accedit, fructuum hos quidem maturans, hos deſiccans, quorum videlicet tempus præteriit: & cum hæc agat non propius venit, ſed cavens ne ſi plus quam oporteat nos calefaciat, nobis afferat nocumentum, regreditur: cumque iterum ibi fuerit, ubi nobis etiam manifeſtum eſt, ſi longius aberraret frigore congelaremur, rurſus mutatus nobis adpropinquat, in eaque parte cœli verſatur, ubi quammaxime nobis proſit? ædepol, ait, hæc omnia videntur hominum gratia facta eſſe. Quod autem cum manifeſtum ſit non potuiſſe nos ſufferre nec æſtum, nec frigora, ſi repente venerint, tam paulatim ad nos accedit ſol, tamque paulatim a nobis recedit, ut in utrisque contrariis conſtitutis nos lateat? Ego quidem ait Euthydemus, hoc nunc cogito, ne non ſit aliquod iis opus, præterquam ut de hominibus curam habeant. Hoc autem ſolum me impedit, quod etiam cetera animantia participant his. Ad hæc Socrates: Nonne manifeſtum eſt, inquit, hæc etiam pro hominibus gigni atque educari? quod enim aliud animal tot fruitur bonis a capris, porcis, bobus, equis, aſinis, ceteris animantibus, quot homines? Mihi quidem videtur quod plurimis bonis ab iſtis, quam a plantis fruuntur. Nutriuntur namque, atque pecuniam exigunt, non minus ab iſtis, quam ab illis. Multique hominum his quidem, quæ a terra gignuntur, non utuntur in cibum: a pecudum vero lacte, caſeo ac carnibus nutriti vivunt. Omnes autem cicurantes & domantes utilia animalia, utuntur eis, ut cooperatoribus & in aliis multis. Concedo tibi hoc etiam ait. Video namque illa quoque, quæ nobis ſunt fortiora, tam ſubjecta hominibus eſſici, ut eis, ut volunt, utantur. Quod autem cum multa diverſaque ſint bona atque utilia, Senſus hominibus crearunt ad ſingula congruos, per quos omnia ſentiamus: quodque rationem nobis largiti ſunt, qua cogitaremus

ac memoria teneremus, quæ ſentimus, quidque nobis conducat, reperiremus, multos modos inveniremus, quibus bonis quidem frueremur, mala vero depelleremus. Et ad hæc linguam nobis præbuerunt, per quam omnia bona alter alteri communicaremus, docendo, leges ferendo, Rempublicam gubernando: videntur profecto o Socrates magnam hominum curam Dii habere. Ita inſignis ille Philoſophus *Socrates.* Sane utitur hic argumento Philoſophus noſter, quod nonſolum urgentiſſimum eſt; ſed quorumvis, etiam ſimpliciorum captui attemperatum, nimirum *ab ordine, & finibus Univerſi.* Solent equidem accuratiores ævi noſtri Philoſophi, quædam axiomata & propoſitiones præmittere, antequam argumento illo utantur; nullus autem dubito, quin *Socrates*, qua erat inſigni mentis perſpicacia, ſuppoſuerit, poſtulata illa, quæ recentiores ſolent præmittere, ab *Euthydemo* concedi. Admiremur autem hic inſignem Viri prudentiam, quod ſubtilioribus argumentis poſthabitis, ea propoſuerit, quæ ingenio humano quammaxime ſunt attemperata atque convenientia, requirunt enim argumenta illa, uti in Scholis appellantur, metaphyſica, homines qui attentiſſime ſingulas ideas, propoſitiones, atque nexum earum perpendunt, quorum exiguus inter homines numerus eſt. Saltem in eo longe prudentior diſcipulis *Carteſii* erat, qui ubique, etiam in compendiis Theologiæ, ubi minime neceſſe erat, duo illa argumenta ab idea Dei petita in medium proferunt; quæ uti ſunt valde ſubtilia & ex multis aliis propoſitionibus elicita; ita minime apta ſunt, ad ſoli-

dam

dam perſuaſionem circa graviſſimum hoc caput, ingenerandam; ut non dicam, de quo tamen jam non agitur, falſa eſſe, ſaltem omnium qui de hisce meditantur confeſſione, multis dubiis obnoxia. Obſervandum inſuper *Socratem* hîc voce *Deorum*, non *Dei* uti; ſine dubio quia noluit offendere diſcipulorum animos, atque ſenſim ſenſimque ad hanc veritatem inculcandam procedendum exiſtumavit. Ut non dicam, quod difficile eſſe exiſtimaverit, de Deo aliquid certi aſſerere. Notum eſt *Platonem* in *Timæo* pag. 526. dixiſſe: Τον Ποιητην και Πατερα τδ παντος ευρειν τε εργον, και ευροντα εις παντας αδυνατον λεγειν. Rectene autem fecerit nec ne, *Socrates*, quod majori Zelo compulſus non fuerit ad ſalutarem illam propoſitionem tuendam & defendendam, jam quidem non quærimus. Certe ſi *Euthydemus*, & qui præſentes erant, ratiocinari potuere, ſine magno labore ſentire poterant, quid animo premeret *Socrates*. Adſunt præterea in *Platonis* dialogis non pauca veſtigia contemtæ Opinionis, publice de Diis receptæ. In *Eutyphrone* inducit *Plato Eutyphronem*, neſcio quem, quaſi Patrem capitis accuſaret, factumque hoc ſuum nefarium exemplo *Jovis*, qui vincula *Saturno* injecerat eumque exſecuerat, defenderet. Quod cum *Eutyphro* dixiſſet, addidiſſetque ideo quosdam ſibi indignari, quod patris eſſet accuſator: qui tamen id, quod *Saturno* fecerat *Jupiter*, non improbarent, qua in re a ſemetipſis diſſentirent; reſpondet *Socrates*, *ſe ea de cauſſa reum factum, quod cum talia quispiam de Diis diceret, moleſte ferret:* αρα γε τδ' ἐστιν ὃ ἑνεκα την γραφην φευγω, ὁτι τα τοιαυτα δυσχερως πως ἀποδεχομαι.

δεχομαι. In ſequentibus etiam oſtendit, ſe fabulis Græcorum de Diis fidem non habuiſſe, cum mirabundus ſic interrogat *Eutyphronem; an ergo bellum putas Diis eſſe revera inter ſe, & graves inimicitias, & pugnas, & alia hujusmodi multa, qualia dicuntur a Poëtis & bonis Scriptoribus? His cum alia nobis templa imaginibus ſunt variegata, tum etiam in magnis Panathenaicis peplum ejusmodi picturis plenum in arcem fertur. Verane hæc eſſe dicimus o Eutyphron?* Και πολεμον αρα ηγη συ ειναι τω Ονλι εν τοις Θεοις προς αλληλους, και εχθρας δεινας και μαχας, και αλλα τοιαυλα πολλα, οια λεγεται υπο των Ποιηλων και υπο των αγαθων γραφεων; τα τε αλλα Ιερα ημιν καλαπεποικιλλαι, και δη και τοις μεγαλοις Παναθηναιοις ο πεπλος μεστος των τοιθλων ποικιλμαλων αναφερεται εις την ακροπολην. Ταυλα αληθη Φωμεν ειναι ω Ευθυφρον. Hinc ipſe *Plutarchus de placit. Philoſoph.* Lib. I. cap. 7. *Socratis* & *Platonis* de Deo ſententiam exponens ſine ambagibus quid ſenſerint, aperit, dicens: Σωκρατης και Πλατων το εν το μονοφυες, και αυτοφυες, το μοναδικον, το οντως αγαθον. Παντα δε ταυτα των ονοματων εις τον νουν σπευδει, νους εν ο Θεος χωριστον ειδος, τθτεστι το ακηρατες πασης ὑλης μηδενι παθητω συμπεπλεγμενον. i. e. *Socrates & Plato unum ſingularis & per ſe ſubſiſtentis naturæ ac ſolitarium, revera bonum; omnia autem hæc nomina ad mentem referuntur. Mens ergo eſt Deus, ſpecies ſeparata, hoc eſt ſincera, ab omni materiæ miſtura; nec ulli rei, quæ pati aliquid poſſit, implicita.* Idem *Socrates* citato *Xenophontis* loco, probat, Deum *inconſpicuum* eſſe,

esse, nec minus tamen colendum. pag. 505. *Quod igitur Dii sint, hominumque habeant curam, tu quoque o Euthydeme cognosces, si non exspectes quousque Deorum videris formas. Satis namque erit, opera eorum considerando colere ac honorare Deos. Cogita autem quod ipsimet etiam Dii eo modo se nobis ostendunt. Nam & alteri Dii, cum omnia nobis bona præbeant, nihil horum tamen nobis palam visi largiuntur. Ille quoque qui totum orbem ordinat atque continet, in quo omnia honesta bonaque sunt, quique cum semper eis utamur, semper nihilominus recentia, sana & immortalia ea nobis dat citius, quam homo cogitet, & absque defectu nobis ministrat, hic maxima quidem intelligitur operans, hoc vero totum gubernans invisibilis nobis est.* Et paulo infra. *Atqui hominis etiam anima, si quid aliud humanum, natura divina participat. Nam illam in nobis dominari manifestum est, videtur autem minime. Quæ cum quis consideret non negligat invisibilia oportet, sed ex illis quæ fiunt, potentia eorum cognita, honore Deos prosequatur.* Observandum heic loci *Socratem* Deum omnium rerum Auctorem distinguere a Diis. Atque adeo interdum sententiam suam clarius, quam alibi, exponere. Ratiocinatur hic eodem modo, quo usus est *Paulus Apostolus* ad Rom. I. Τα γαρ ἀοραΐα αὐτȣ ἀπο κτισεως κοσμȣ τοις ποιημασι νοȣμενα καθοραται. Concessit porro *Socrates*, dari leges quasdam divinas omnibus in universum hominibus præscriptas. Probat hoc *Xenoph.* locus pag. 508. supra Sect. IV. a nobis adductus.

Preces

Preces, quas ad Deos fundebat, & quas inculcabat aliis peragendas, ſingularem ingenii bonitatem præ ſe ferunt. pag. 450. ait *Xenophon:* Και ἐυχετο δε προς τȣς Θεȣς ἁπλως τ' ἀγαθα διδοναι, ὡς τȣς Θεȣς καλλιςα ἐιδοτας ὁποια ἀγαθα ἐςι, τȣς δε ἐυχομενȣς χρυσιον, ἠ ἀργυριον ἠ τυρρανιδα, ἠ ἀλλο τι των τοιȣτων, ȣ̓δεν διαφορον ἐνομιζεν ἐυχεσθαι, ἠ ἐι κυβειαν, ἠ μαχην, ἠ ἀλλο τι ἐυχοιντο των φανερως ἀδηλων ὁπως ἀποβησοιτο. i. e. *Orabat autem Deos ſimpliciter bona præſtare, tanquam optime Dii quænam nobis bona ſint ſcirent. Qui vero aurum, aut argentum, aut tyrannidem aut quippiam hujusmodi a Diis orando petebant, illos ſimile quid opinabatur orare, ac ſi ludum taxillorum aut prælium, aut aliquid oraſſent, cujus incertus exitus eſſet.* Eodem libro pag. 452. egregie divinæ Providentiæ laudes ebuccinat. *Dicam vero* inquit *Xenophon, quæ quondam eum de Numine cum Ariſtodemo, qui parvus cognominabatur, audieram disputantem. Cum enim eum conſideraret nec Diis ſacrificantem, nec divinatione uſum, quin in contemtu habentem ac deridentem illos, qui ea faciebant. Dic mihi Ariſtodeme inquit, ſunt ulli hominum, quos ut ſapientes admiraris?* ita *eſſe reſpondet. At ille: expone nobis nomina inquit: In verſuum ego compoſitione Homerum quammaxime ſum admiratus, in dityrambo Melanippidem: in Tragœdia Sophoclem: in arte ſtatuaria Polycletum: in pictura Zeuxin. Utrum autem Socrates ait, illi tibi videntur magis admirandi eſſe, qui inſipientia & immobilia ſimulacra operantur, an illi, qui animalia ſcientia & mobilia? multo per Jovem* inquit,

qui

qui animalia faciant præſertim ſi non ſorte, ſed cogitatione hæc fiant. Illorum vero quæ incerta ſunt ad quem finem tendant, quæque manifeſte in utilitatem cedunt hominibus, utra fortunæ, ac utra judicas rationis & cogitationis opera eſſe? Quid vero non tibi videtur, qui principio homines fecit, utiliter eis ſenſus tribuiſſe, per quos unumquodque ſentirent? oculos ut viſibilia videant, aures ut audibilia audiant. Sic etiam de iis, quæ odore ſentiuntur, quorum nulla eſſet utilitas, ſi non additæ nobis nares fuiſſent. Dulcium etiam & acutorum quis nobis eſſet ſenſus, ſi non fuiſſet nobis lingua data, judex illorum? & ad hæc non videtur tibi hoc etiam Providentiæ opus fuiſſe, quod cum viſus imbecillis eſſet, palpebris eum circumvallare, quæ cum opus fuerit uti viſu, aperiuntur, in ſomno vero clauduntur? Ut vero ne venti nocere poſſint, pilos palpebrarum, quaſi decoloratorium ac ſupercilia eminentia ſuper oculos impoſuit, ne qui deſcendit a capite ſudor noceat. Quod autem aures ſuſcipiunt quidem omnes voces, nunquam autem implentur, dentiumque anteriores quidem omnibus animalibus tales conſtructi ſunt, ut ſecare poſſint, molares autem, ut ab illis cibum inciſum ſuſceptum molere valeant. Ac os, per quod animalia ea, quæ capiunt immittunt in ventrem, penes oculos naresque ſitum eſt. Turpium vero ac fœtidarum rerum, quæ projicienda ſunt, illorum inquam conductus retro conſtruxit, ac regionem eis tribuit, quam longinquam a ſenſibus. Hæc omnia cum tanta Providentia facta, dubitas an fortunæ, an rationis ſint? Non per Jovem inquit: quin ita conſideranti mihi, viden-

tur

tur hæc omnia ſapientiſſimi Creatoris, animantibusque affecti opus quoddam fuiſſe. Eadem pagina aſſerit, Deum eſſe laudandum quod admirabili artificio mentem corpusque formaverit. *Ariſtodemus* dixit: *non negligo ego Deum o Socrates, inquit, ſed arbitror, eum majorem eſſe, quam ut indigeat meo cultu, immo Socrates, ait, quanto tibi major eſſe videtur, tanto magis colendus atque adorandus eſt. Scias o Socrates, inquit, quod ſi arbitrarer Deos hominum habere curam non negligerem eos. Et cur ait non opinaris eos de nobis curare, cum videas eos primum quidem ſolum hominem animalium rectum creaſſe, (quod id efficit, ut multa providere poſſit magisque reſpicere quæ ſupra ſe ſunt ac minus laborare) viſumque, & aures ac os dediſſe? deinde aliis quidem gradientibus pedes ſolum præſtaſſe, qui ad ambulandum conferunt: ſolum homini manus quoque addidiſſe, quibus plura operatur, propter quæ feliciores ſumus cæteris animantibus? at linguam cum cætera animalia habeant, ſolam humanam talem feciſſe, ut modo hanc, modo illam partem Oris tangat, ac vocem articulet, alterque alteri, quæcunque velit ſignificet. Non vero ſatis habuerunt de corpore noſtro curaſſe: ſed quod majus eſt, animum quoque quam optimum homini immiſerunt. Cujus namque alterius animalis animus, primum quidem cognoverat maximarum optimarumque rerum Creatores Deos eſſe? quod vero aliud genus præter Homines Deos colit? aut quæ anima accomodatior humana eſt vel ad famem præcavendam vel ſitim, frigora, æſtus, aut morbis obviandum, aut robur exercitatione conſequendum, aut ad doctrinam percipiendum, laborandum, aut quæcunque vel viderit vel audiverit perdoctusque fuerit, memoria retinendum? Annon tibi omnino perſpicuum eſt, quaſi Deos inter cætera animalia homines vivere ipſa natura omnibus aliis corporeque*

poreque animaque præſtantes? nec enim ſi corpus haberet bovis, mentem autem hominis, quæcunque voluiſſet agere potuiſſet, nec illa, quæ cum manus habeant, amentia ſint, aliquid plus habent, tu vero cum utrumque optimum a Diis habeas, non arbitraris, eos tui curam habere? Quando ergo, aut cum quid faciant, putabis eos pro te curare? an cum Conſiliarios tibi mittant, quemadmodum tu ais eos mittere debere, ac inſtruant, quid agendum, quidve non agendum ſit? Et paucis interjectis: Diſce o optime, quod tua etiam inſita mens, quemadmodum velit, tuum corpus gubernat. Itaque opinandum eſt, illam etiam, quæ totam continet Sapientiam, quemadmodum ſibi placitum eſt, ſic omnia gubernare. Num putas, tuum quidem oculum poſſe ad multa usque paſſuum millia pervenire, divinum autem oculum impoſſibile eſſe ſimul totum conſpicere? aut tuam quidem animam de his quæ apud diverſas regiones geruntur, aut Athenis aut in Sicilia, ſive apud Ægyptios, poſſe cogitare, Prudentiam vero divinam omnia ſimul non poſſe curare? nempe, ſi quemadmodum cum gratum hominibus facias, facile eos qui gratum tibi faciunt cognoſcere potes: cumque conſilium petas, quinam prudentes ſint haud ignoras: ſic etiam Diis grata faciens experientiam capere velis, ſi qui eorum conſulerent, quæ incerta hominibus ſunt, ſcies eos profecto tales eſſe, ut ſimul omnia viderent ac audirent, & ubique adeſſent, ſimulque omnium curam haberent. Itaque (ita addit Xenophon) mihi videtur cum hæc diceret, ſuis Auditoribus perſuadere, non modo cum ab hominibus videantur ab injuſtis & turpibus & impiis rebus abſtinere, ſed non minus cum in ſolitudine eſſent: cum certo tenerent, nihil eorum quæ agerent, Deos latere. Ita Xenophon. Quam præclara hæc ſint, & ad hominem rectæ rationis capacem, virtutis-

que ſtudioſum ad recte vivendum apta, nemo non videt. Quid de *mentis immortalitate* ſenſerit notiſſimum eſt. Hinc inde in *Æſchinis* Dialogis, *Platonis Phædone*, *Gorgia*, de hoc argumento agit. Unum tantum atque alterum addam teſtimonium. In *Dialogo* tertio *Æſchinis*, qui agit de morte, poſtquam ex mente veterum Græcorum de ſtatu hominum bonorum & malorum poſt mortem locutus eſſet: ita ait pag. 117. edit. *Clerici*: *Hæc quidem audivi a Gobria; tu Axioche judicium feres: ego enim ratione adductus hoc unum certo ſcio, animam omnem eſſe immortalem. Hæc vero, etiam cum ex hoc loco migravit, eſt ſine triſtitia. Itaque ſive infra, ſive ſupra, beatum te eſſe oportet, qui pie vixiſti. Pudet me tibi quicquam dicere o Socrates, tantopere enim abſum a metu mortis, ut jam amore ejus tenear: ita me hic ſermo, quaſi etiam cœleſtis permovit. Jam vitam deſpicio migraturus quippe in meliorem domum.* In *Phædone* Sect. 46. ait: *Hæc igitur eo modo ſe habere, ut ego narravi, non decet Virum judicio præditum affirmare. Attamen vel hæc, vel talia quædam eſſe circa animos noſtros eorumque habitationes, quandoquidem animum immortalem eſſe liquet, hoc adſerere & decere mihi videtur & dignum eſſe ſic rem habere putantem periclitari.* Taceo alia loca, quæ Viri D. collegerunt. Vide quæ congeſſit *Witſius* Miſcell. Tom. 2. p. 686. de *Juſtificatione ex mente Gentilium*. Scio Virum Optimum non ſemper eadem cum confidentia loqui de hoc graviſſimo argumento: neque mirum eſt, ſi cogitemus, quo tempore vixerit, & quæ dubia ratio ſola ſuppeditare poſſit. Interim ſi omnia loca, in quibus de hoc argumento egit, conferamus, patebit, ſummum virum credidiſſe maxime probabile eſſe, mentem

corpori

corpori ſuperfuturam, atque Deum recte & male factorum rationem habiturum. Evidentia *mathematica* hîc locum non habet. Sufficit maxima *probabilitas*. Quæ quin in animo *Socratis* radices egerit, nullus dubito. Nihil jam dicam de egregiis præceptis ad recte vivendum mirum quantum facientibus: quæ adferre poſſem contra *Ariſtophanem*, quæque a *Stanlæo*, *Clerico*, *Charpentier*, aliisque dudum collecta ſunt. At hæc mihi ſufficere videntur ad defendendum incomparabilem Philoſophum. Mirum autem eſt, nonſolum *Ariſtophanem* impuriſſimum & dicaciſſimum nebulonem; ſed & Patrem aliquem Eccleſiæ, quos tamen veritatis amantiſſimos eſſe oporteret, peſſime de Optimo Viro judicaſſe. Factum hoc eſt a *Lactantio* Oratore quidem populari, ſed veritatis non admodum ſemper ſtudioſo. Is *Lib.* 3. Sect. 20. pag. 356. edit. *Walchii* ita rethoricatur: *Aliquid ergo Socrates habuit cordis humani, qui cum intelligeret, hæc non poſſe inveniri, ab ejusmodi quæſtionibus ſe removit, vereorque ne in eò ſolo. Multa enim ſunt ejus, non modo laude indigna, ſed etiam reprehenſione digniſſima, in quibus fuit ſuorum ſimillimus. Ex his unum eligam, quod ab omnibus ſit probatum. Celebre hoc Proverbium Socrates habuit: Quod ſupra nos, nihil ad nos. Procumbamus igitur in terram, & manus nobis ad præclara opera datas convertamus in pedes. Nihil ad nos cœlum, ad cujus contemplationem ſumus excitati, nihil denique lex ipſa pertineat. Certe victus noſtri cauſſa de cœlo eſt. Quod ſi hoc ſenſit, non eſſe de rebus cœleſtibus diſputandum, ne illorum quidem rationem potuit comprehendere, quæ ſub pedibus habebat. Quid ergo? num erravit in verbis? veriſimile non eſt; ſed nimirum id ſenſit, quod locutus eſt, Religioni ini-*

nime ſerviendum. Quod ſi aperte diceret, nemo pate-retur. Quis enim non ſentiat hunc mundum tam mirabili ratione perfectum aliqua Providentia gubernari? quandoquidem nihil eſt, quod poſſit ſine ullo Moderatore conſiſtere. Sic domus ab habitatore deſerta dilabitur: navis ſine Gubernatore abit peſſum: & corpus relictum ab anima defluit: nedum putemus tantam iſtam molem aut conſtrui ſine artifice aut ſtare tam diu ſine Rectore potuiſſe. Ita *Lactantius:* breviter ad hanc cavillatoriam Orationem reſpondemus, noluiſſe bonum Patrem, ut ſolent homines disputaces, *Socratem* noſtrum intelligere, ut Eloquentiam ſuam & ubertatem dicendi oſtentare poſſit. Dubium non eſt, quin probe ſciverit, quo ſenſu hoc uſitatum uſurpaverit Proverbium : Erat enim in Philoſophorum veterum Scriptis non parum verſatus. Quod ſi hoc intellexit a calumniæ crimine abſolvi non poteſt, inter Patres Eccleſiæ licet relatus. Quid autem magis a Viro honeſto, præſertim ſanctiſſimæ diſciplinæ alumno, procul eſſe debet, quam innocentes calumniis proſcindere? Si quis inter Chriſtianos hoc proverbio uſus fuiſſet, atque a Philoſopho nequiſſimus ille ſenſus tributus eſſet, bone Deus! quos clamores ſuſtuliſſet diſertiſſimus Pater? quot pagellas querelis & virulentis caſtigationibus impleſſet? at cum Pater Eccleſiæ hoc dicat *mendacium*, ſi Diis placet, in *veritatem* ſcilicet mutatur. Nullus dubito, quin Philoſophiæ Socraticæ gnari & ſtudioſi a Religionis Chriſtianæ Profeſſoribus alienum habituri fuiſſent animum, ſi percepiſſent, quam inique agatur cum Philoſophorum excellentiſſimo. Intellexiſſe autem *Lactantium* proverbium *Socratis*, non ſolum patere videtur ex *Invectiva*, quam in *Cicero-*

nem

nem habuit Lib. 2. Sect. 3. Sed vel maxime ex accuſatione *Anaxagoræ*. Is enim dixit ſe cœli ſolisque videndi gratia vivere, quod *loquaciſſimus Pater* ita interpretatur, ac ſi dixiſſet, ſe unice ad jugem aſtrorum contemplationem factum eſſe. Ita mentem *Anaxagoræ* & *Socratis* male accipit & quidem ſtudio. Adeo verum eſt illud *Comici*, *nihil tam bene dictum, quin male narrando poſſit depravarier.*

VIII.

Antequam *Socratem* dimittamus, juvat paululum ab itinere recedere, atque unum, & alterum, quod ipſum, ejusque Religionem attinet, adjicere. Audivimus quam præclare de Numine ſenſerit Optimus Vir; cognitum inſuper, atque perſpectum quanta vitæ puritate, modeſtia, continentia ad finem usque vitæ ante omnes alios Philoſophos eluxerit. Hinc factum, ut non ſemel de ſalute *Socratis* poſt hanc vitam accepta, Viri Docti ultro citroque diſſeruerint. Liceat & mihi libere animi cogitata proponere, non ſtudio disputandi, aut quenquam offendendi, ſed exercitationis gratia. Notum eſt in diverſa abire Eruditos circa ſtatum Gentilium poſt mortem. Quidam omnes in univerſum Gentiles Religionis Chriſtianæ cognitione deſtitutos *orco addicunt*. Sunt qui nihil *temere definire* volunt, exiſtimantes rem omnem æquiſſimo totius Univerſi Judici permittendam. Alii denique putant, probabiles adeſſe rationes, quibus inducti credamus, *Socratem* a Deo poſt mortem dignam meritis remunerationem accepiſſe, aut ut rectius dicam, Deum gratiam ei feciſſe, erroresque, quos parum cavet natura humana, condonaſſe, propter inſignem animi bonitatem,

qua per univerſum vitæ curriculum eluxit. Notum multos ex Patribus, & emendatorum Sacrorum Antiſtitibus poſtremam amplexos eſſe ſententiam. Ex recentioribus aliud agendo duos deprehendi, qui benigne ſatis de eo circa hanc materiam judicant: T. *Faber* in Notis ad *Lucianum* Tom. 2. pag. 589. Edit. *Grævii* ait: hoc auſim aſſerere:

Si quis morte obita ſenſus tellure ſub ima eſt
Socratici gaudent Manes & grandior umbra
Ambulat Elyſium, tanti Scriptoris honore.

Joannes vero *Clericus Sylv. philolog.* cap. 3. p. 207. ita mentem pandit ſuam: *Cum nulla voluntatis ſuæ indicia ei, aut aliis Græcis, patefeciſſet Deus: mirum non eſt eum dubitaſſe, & adquieviſſe in moribus receptis, dum aliud nihil melius inveniret. Immo vero mirum eſt, tam multa ab eo, ſine Revelatione, de Deo eximia dici potuiſſe. In Dialogo ante memorato, egregie, quamvis diſſimulanter, ne offenderet Athenienſes, docet, ſatius multo eſſe Numini permittere delectum eorum, quæ nobis conveniunt, cum neſciamus quid utile nobis futurum eſſet; quam ea petere, quæ nobis, ſi a Numine concedantur, ſint exitialia futura. Quo quid dici melius poſſit hac de re, me neſcire fateor. Coluit ergo unum Deum Summum, multosque inferiores, ſub nominibus uſu conſecratis, & quidem cum animo, tum ritibus patriis, quam optime potuit. Quomodo verum Numen hæc facta & dicta ejus interpretatum ſit, quodve judicium de iis tulerit, Dei eſt aperire, non meum: ſed malim cum Clem. Alexandrino, & aliis veteribus Chriſtianis, benignius ſentire de Optimo & Doctiſſimo totius Græciæ Viro, quam graviorem ſententiam ferre: tacente præſertim ejusmodi de rebus divi-*

na

na Revelatione. Hactenus *Doctiſſimus Clericus.* Dicam mox, quid occaſione horum verborum inter me & amicum disputatum ſit, poſtquam hoc unum præmonuero: Nimirum præſtare, ſi Viri Docti de *propria ſua ſalute* potius, quam de *aliorum* ſoliciti ſint; multa enim requiruntur ad probitatem vitæ conſequendam, omniaque impedimenta, quæ in vitæ noſtræ curriculo occurrere ſolent, removenda. Interim minus errare eos credo, qui ex amore proximi benigne de aliis judicant, quam qui nullo habito discrimine, quemvis condemnare ſolent. Dicam igitur cum venia B. *Lectoris*, non quid verum certumque ſit; ſed quid non prorſus improbabile de hoc argumento dici poſſit, ſalvo meliore judicio. (*) Convenit me aliquando amicus atque me in lectione *Memorabilium Socratis* occupatum eſſe deprehendit. Inter alia dixi me mirifice hoc Scripto capi, atque inter eos eſſe qui maximi faciant *Socratem.* Magnus fuit, inquit ille, Vir *Socrates*; Sed ſi Sacris Literis credimus, una cum aliis Revelationis luce deſtitutis miſere cum Philoſophia ſua periit. Prælegebam illi ante citata *Clerici* verba, & quærebam, quid de iis ſentiret: Reſpondit, mirum non eſſe, tam benigne de *Socrate* ſentire *Clericum.* Notum enim eſſe, *Arminii* Sectatores minus recte de hoc argumento ſentire. Scripturam omnes Gentiles in univerſum a regno Dei proſcribere; notum eſſe locum *Apoſtoli* Act. IV. addebat, ſi

(*) Vide Diſſertat. D. de *Beaumarchois* Nob. *Steele* libello, cujus titulus: *Le Heros chrétien* adjectam.

Socrates ſalvatus fuerit, fruſtra *Servatorem* ad emendandum genus humanum in terris comparuiſſe, quod tamen rectiſſimis Religionis Chriſtianæ principiis contrarium: neminem eſſe, qui leges per rationem mortalibus præſcriptas præſtare poſſit, quod tamen S. Literæ ubique poſtulent &c. &c. Tum ego, nolo inquam *Clerici* ſententiam pertinaciter defendere; ſed tecum quæ veriſimilia mihi in hoc negotio, ſiquidem vacivas præbere volueris aures, videntur, communicare: ille annuere & petere, ut libere in medium proferam animi ſenſa: tum ego, permitte quæſo, ut quædam præmittam antequam quæſtionem ipſam attingam. Suppono itaque primum, *Socratem* ita vixiſſe, atque ita de religione ſenſiſſe, uti Veteres fere in univerſum omnes, *Xenophon* cumprimis, atque *Plato* ediſſeruerunt. 2.) Si *Clericus* cæterique, qui benigne ſatis judicarunt de ſtatu *Socratis* poſt mortem, errarunt, non tamen eorum ſententia videtur exagitanda: cum enim tam magnifice de Dei miſericordia & benevolentia, qua univerſum Genus humanum proſequitur, ſentiant, ut exiſtiment, ſalvis illis virtutibus, vix contrarium dici poſſe; patet eos optimo fine hæc tueri. Solemus quotidie pro cathedra de mortuis, quorum tamen vitæ improbitas cunctis nota fuit, benigne ſentire, quod nemo improbat; & ſi qui ſunt, quibus hoc minus prudenter actum videtur, dicere ſolemus, de mortuis nonniſi bene. 3. Nollem equidem quæ de *Socrate* a *Clerico* dicta ſunt ad omnes in univerſum Gentiles extendere: cum autem contendas, omnes, qui a Sacris Chriſtianorum alieni ſunt, ſalutem conſequi non poſſe, in genere etiam hanc quæſtionem explicabo, ita tamen, ut a te melius de hac controverſia inſtrui

ſtrui cupiam. Ego vero licet aliter ſentiam, lubens ad dicta tua attendam. Incipe igitur ſi moleſtum non eſt. A. Incipiam. Concedes mihi, omnes, qui ratione ſua recte utuntur, ſine profunda quadam meditatione deprehendere, Deum eſſe Auctorem Univerſi; Eum toti Univerſitati rerum proſpicere; Eum bonum, juſtum, ſanctum eſſe; Eum velle, ut homines ad leges ſuas, rectæ ratiocinationis ope explicandas, vitam ſuam univerſam componant. Hæc omnia ego liberaliter dicebam concedo, ſed quid inde? Ex eo igitur mea opinione ſequitur, omnes quotquot cognoſcendarum illarum legum capaces ſunt, obligari, ad Deum *pro viribus* amandum, colendum; ſequitur, eos oportere credere, Optimum illud Numen præmiis bonos, pœnis autem malos adfecturum. At obligatio illa vana foret, imo duriſſima, ſi certum eſſet, neminem illas leges obſervare poſſe, aut, ſi ſervaverit, fruſtra eſſe: ab una parte cuncti obligarentur ad ſervanda præcepta Religionis Naturalis, atque jure exiſtimarent cultores Numinis mercedem qualemcunque exſpectare poſſe; ab altera tamen parte ita finxiſſet hominem Deus, ut ea præſtare non poſſet. Quis autem talia de Benefico Numine credat? Omnis obligatio ſupponit, eum qui obligatur, officium, quod injungitur, facere poſſe. Si Magiſtratus a nobis poſtularet, ut avium inſtar aëra trajiceremus, cum tamen pulchre noſſet, nos inſtrumentis ad volandum deſtitutos, omnes crederent, eum generi humano illudere, ſimile (abſit hoc ab Optimo Numine) de Deo eſſet dicendum. *Secundo* ſi impoſſibile plane eſt, ut Homines Religionis Chriſtianæ ignari præcepta legis Naturalis

ſervare poſſint, ſequitur neceſſario, omnes Gentiles eſſe ἀπολογητους ſeu ut clarius loquar, ſequitur illis nulla ratione, quod facere neglexerunt, imputari poſſe. At Paulus Apoſtolus ait, legem naturæ ipſis datam, ut ſint ἀναπολογητοι. Falſum igitur videtur, quod tanquam certum ponis: profecto ſi nullus Gentilium adhibita etiam omni diligentia, quæ in hominem virtutis amantem cadere poteſt, præcepta illa præſtare poteſt, cauſſa non obſervatæ legis non in ipſis quærenda eſt, ſed in voluntate ipſius Legislatoris. Loquimur de iis, quibus revelatio divina nunquam obtigit, & qui, ſi vel maxime voluiſſent præceptis illius inſtrui, non potuere. Conſcientiam tuam conteſtor, ut adfirmes ſine ambagibus, utrum hæc cum Optimi Numinis Natura conſiſtere ulla ratione poſſint. 3.) Deus ex tua ſententia minus ſapienter mundum ſeu homines potius adminiſtrare videretur. Longe maxima orbis pars Religionis Chriſtianæ ignara eſt. Omnes tamen homines conſervat, omnibus bonis cumulat. Vitam rationemque concedit; idem, qui nos colluſtrat, iis etiam oritur ſol: quem in finem tandem hæc omnia facit? num ideo tandem, ut ſciant, ſolem dari, ut edant, bibant? vel ut ſciant dari Numen Optimum Excellentiſſimumque, at tale tamen, quod adhibitis omnibus mentis viribus conciliari non poſſit? minime, inquit, hoc eum fit in finem; ſed ut in ejus admirationem rapiantur; ut eum colant & ament. At ego, inquam ſeria non eſt illa voluntas, nec certa conſequentia; ſi impoſſibile eſt ut unquam finem quem intendere ais Deum, obtinere poſſit. Si ſeria vero eſt, aliter judicare non poſſum, quam Deum vel ideo

tot

tot bonis univerſos mortales mactare ut obtineat, quod intendit; id eſt, ut homines ipſo opere ad præcepta ſua obſervanda inducantur. Quod ipſum denuo ſupponit, Deum his ipſis beneficiis nonſolum ſerio ad religionis cultum invitare; ſed & homines omnes ad hæc attendentes, voluntati Dei obtemperare ſaltem poſſe. Obſervandum denique eſt 4.) loco, magnum eſſe discrimen inter Dei Bonitatem, Miſericordiam & inter Juſtitiam ipſius. Poteſt Deus immerentem beneficiis adficere, & majora dare, quam meritus eſt. Nihil agit Deus quod ſuæ naturæ & virtutibus ſuis contrarium ſit: at juſtitia ipſius atteritur, ſi dicatur, eum, aut majoribus pœnis adficere quenquam, quam meritus eſt; aut punire eum, quem legem nulla ratione, ſi maxime vellet, præſtare poſſe, pulcherrime novit. Quod ſi igitur Deus Gentiles quosdam, pro viribus Deum, quem cognoverunt, colentes, æternis præmiis adficit, licet talia ac tanta non meritos; oſtendit Benevolentiam ſuam inſignem. Si vero æterno exitio addicit homines, qui plura præſtare non poterant, nunquam conciliabis hoc cum Bonitate quam in O. M. Deo omnes cummaxime ſuſpicimus. Tum *ille*. Facile concedo hominem Gentilem ſalvum fieri poſſe per infinitam Dei Miſericordiam, ſi omnia Religionis Naturalis præcepta ſervaret; at poſſe quenquam ſingula præſtare & ratio & revelatio repugnat: ratio docet neminem eſſe perfectum: optimum illum, qui minimis urgeatur erroribus: Revelatio ait, hominem natura corruptum & impotentem ad actiones ſuas legi divinæ convenienter inſtituendas: Deum ex toto animo, omnibus viribus, ex toto corde amandum:

at

at hoc a nemine unquam præſtitum fuiſſe conſtat. At, audi ego inquam, quid ad hæc reponere potuiſſet *Clericus*: nimirum cum duplex ſit quæſtio una *juris*, *altera facti*, nimirum utrum quis præcepta Juris Nat. ſervare poſſit, & hoc poſito, utrum actu ipſo ſervaverit vel præſtiterit, quæ lex illa poſtulat. Quod ad quæſtionem *facti* attinet, illa reſpectu noſtri ἀλυτος eſſe videtur. Deus enim ſolus ſcit, quid hic vel ille præſtiterit, quibus gradibus cognitionis rerum divinarum fuerit inſtructus, utrum occaſionem habuerit ingenium excolendi &c.

Quod ſi tamen adſint præclara & fide digna teſtimonia hunc vel illum ad rectæ rationis regulas, quantum imbecillitas humana patitur, vixiſſe, cauſſam non video cur dubitem de favore Dei in hunc hominem. At novi quid reſponſurus ſis. Provocabis partim ad legem illam Dei, *Deut.* VI. extantem, de Deo ex toto animo, totis viribus amando; partim ad obligationem omnibus creaturis ratione præditis impoſitam, cunctas cogitationes & omnia voluntatis decreta, ad nutum Numinis componendi; nihil eorum omittendi, quæ ad virtutis perpetuum exercitium pertinent, nihil committendi, quod præceptis Dei contrarium ſit. At nec hæc ita ſunt comparata, ut inferant, quod contendis. Quod locum citatum ex *Deuteronomio* ſpectat, nihil videtur ex eo colligi poſſe, quam Deum ardentiſſime eſſe amandum; qui amor, ut ipſius ad h. l. *Clerici* verbis utar, ſitus eſt, in ea adfectione animi, qua ita Deo obſequentes ſumus, ut nulla re ad negligendas aut perfringendas ejus leges ſcientes & prudentes

tes nos adduci patiamur. Atque is eſt demum verus amor Dei, qui ſe conſtanti obſequio prodit, ut ipſe docet *Moſes* infra cap. X. 12. XI. 1. Lege domi eruditas meditationes *Grotii ad Matth. XXII.* v. 37. neque quicquam ad rem facit cumulatio verborum: oſtenderunt enim Viri Eruditi multorum exemplorum inductione, nil niſi intenſum ſtudium illa repetitione ſignificari. Quod ad alterum ſpectat, concedo, Deum ab homine poſtulare intenſiſſimum amorem, voluntatemque, omnibus præceptis, quæ injunxit, obediendi; nego tamen Deum hæc abſolute velle, ſub pœna æterni exitii; ſeu ut clarius loquar, nego Deum æterno ſupplicio addicturum homines propter imbecillitates humanæ naturæ, peccata quotidianæ incurſionis, aut ob errores, quos parum cavet natura humana; ſed ob vitia tantum, & habitus in iis contractos. Ratio eſt, quia in idea omnis creaturæ labilitas, ut ita dicam, includitur. Deus igitur ab homine abſolutam, & nulla unquam vitiorum labe contaminatam vitæ puritatem poſtulare non poteſt, per æquitatem ſuam; licet ſanctitas ipſius poſtulet, ut ad normam perfectiſſimæ vivendi rationis actiones ſuas componant homines. Hæc duo invicem non pugnant. Deus vult, ut omnes in virtutis ſtudio perfectum aliquod Exemplar ſibi proponant; & quantum poſſunt, illud imitentur; Idem tamen imbecillitatis humanæ naturæ probe gnarus, de hoc unice ſolicitus eſt, ut diſpiciat, quantum quisque pro viribus ſuis contulerit, ad id, quod præſcriptum eſt, præſtandum, vel non præſtandum. Quod ſi igitur hic vel ille Gentilis Deum quantum potuit, coluit, neque conſuetudine quadam

dam prava habitum contraxit male agendi, Bonitas, Æquitas & Miſericordia Dei ſuadent, ut dicamus, Deum ei propitium poſt mortem futurum, quod ſi putes non adeo perſpicue hæc ex præceptis rationis patere, quod equidem quantum ſatis eſt, conſtare arbitror, demonſtrare tamen non poteris, nolle Deum ob infinitam ὑπεροχὴν meriti Chriſti Gentilibus quibusdam ignoſcere. Neque certe locus Act. IV. quem cum Theologis aliis multis in ſententiæ tuæ præſidium adferre ſoles, obeſt opinioni meæ. Si enim antecedentia & conſequentia, immo totius ſermonis ſcopum perpendas, deprehendes, Apoſtolum hoc unum velle, neminem, cui Religio Chriſtiana innotuit, alia ratione veræ felicitatis compotem futurum, quam per viam, quam oſtendit Jeſus Chriſtus: loquitur de iis, qui eo tempore vixerunt, quo radii lucis divinæ per Chriſtum quaqua verſum ſparſæ ſunt; non autem de iis, qui diu ante quam hoc beneficium mundo contigerat, vixerunt. Neque ſequitur, quod contendis, ita Chriſtum fruſtra in terris adparuiſſe; aut homines quibus religio Chriſti nota eſt, ad normam rationis vivendo ſalutem conſequi poſſe. Scis me non monente, quam lucem Chriſtiana Religio attulerit mortalibus; haud ignoras deploratiſſimum Judæorum & Gentilium ſtatum ante tempora Chriſti; noſti quot Gentes poſt adventum Chriſti & Apoſtolorum publicam Evangelii prædicationem Idololatriæ valedixerint, & ſanctiſſimam diſciplinam ad finem usque vitæ defenderint; Noſti opus fuiſſe inſolitis mediis deſperato morbo medicinam adferendi. Hæc omnia cum facta ſint non ſine mirabili ſucceſſu, num dici poteſt, Chriſtum

ſum fruſtra in terris adparuiſſe, quod hic vel ille Gentilis, multo labore & incredibili virtutis amore, per infinitam Miſericordiam ſalutem difficulter obtinere potuit? pauci ſane erunt, inter Gentiles, quantum novimus, qui cum *Socrate* comparari poſſunt. Rari nantes in gurgite vaſto. Difficile mentem attollere poterant ad lucem, qui in tantis verſabantur tenebris; Religio publice recepta adeo erat inepta, ut qui ſingulari ingenii bonitate prædiți non fuerunt, vix eluctari potuerint. Poſt allatam autem lucem Evangelii omnia recte vivendi præſidia abunde adſunt. Stultum igitur eſſet credere, licitum eſſe, poſtquam Deus majorem attulit lucem, ſecundum debiles rationis ſcintillas actiones ſuas componere. Non poſſent tales ingrati homines Deo placere. Exemplo rem illuſtrabo. Præceptor aliquis diſcipulum amat, ſi pro ætate & captu in litteris proficit; neque omnes fluxæ ætatis errores acerbe notat; quando autem eſt adultiore ætate atque præſtantioribus literis imbutus, non contentus eſſet Præceptor, ſi contemtis melioribus illis, in rudimentis vellet hærere, ſed poſtulat, ut eum animum gerat, eo amore literarum ardeat, qualem & confirmata ætas, & altiorum ſcientiarum præcellentia jure ſuo poſtulant. Exemplum hoc transfer ad Deum & videbis, quam nihil valeat objectio eorum, qui dicunt, ſi unus vel alter ex Gentilibus Revelationis luce deſtitutis ſalutem conſequi potuerunt; ſequi, fruſtra Revelationem ſuperadditam, aut eos, qui tanti beneficii compotes facti ſunt, Revelationem impune negligere poſſe. Idem eſſet ac ſi quis diceret, ſole opus non eſſe; poſtquam ope accenſæ lucernæ noctu aliquando negotia noſtra

ſtra peragere potuimus. Tandem velim te obſervare infinitos eſſe, ut felicitatis poſt mortem obtinendæ, ita & pœnæ malis infligendæ gradus, quos ſolus Deus omniſcius determinare poteſt. Pro cognitionis, occaſionis, &c. circumſtantiis, quæ inter homines in infinitum, ut ita dicam variant, Deus cum hominibus aget. In domo Optimi hujus Patris ſunt infinitæ manſiones, diverſis hominibus locum bene vivendi conceſſuræ. Damnatorum ſimul gradus erunt infiniti: a minimo ad ſupremum peccatorum, omnes æquitatem Judicis ſentient. Verbo nulla erit creatura, quæ olim cum adſcriptus pœnæ Dies venerit, adfirmare poterit, Deum inique cum ea egisſe, quod tamen multæ, (abſit blaſphemia) dicere poſſent, ſi absque ſpe veniæ, orco addicerentur, licet pro cognitionis, & virium modulo, virtutem excoluiſſent. Unde concludo tandem, judicium Joh. *Clerici*, neque *temerarium*, aut a *ratione alienum* videri. Certe ſi mores, vitam, præcepta Socratis contemplamur, diffiteri haud poterimus, Virum fuiſſe ingenio præcellentiſſimo & morum probitate quammaxime conſpicuum. A *Max. Tyrio Disſert.* 39. vocatur Φιλοσοφος την ἐπιτηδευσιν, πενης την τυχην, δεινος την φυσιν, ἀγαθος ἐιπειν, συνετος νοησαι, ἀγρυπνος και νηφαλιος και ὁιος μηδεν ἐικη μηδὲ ἐργον πραξαι μητε ἐιπειν λογον. Omnes quinetiam ad virtutis amorem incitabat, omniaque boni Civis officia præſtitit. Notabile autem, quod ipſe *Socrates* agnoverit eum, qui Deum pro viribus coluerit, eum propitium & faventem habiturum. Cum enim *Euthydemus* p. 505. dixiſſet. *Quod equidem o Socrates nec parum negligam Deos, hoc certe ſcio: doleo vero quod mihi vide-*

videtur, nullum hominum unquam beneficiis Deorum condignas retribuere gratias posse. Non est propterea dolendum ait o Eythydeme. Vides namque Delphicum Deum interrogantibus, quonam modo quisquam Diis gratum faciat, respondentem, Lege Civitatis. Lex vero ubique talis est profecto, ut juxta facultates quisque Deos sacrificiis placet. Quo itaque pacto aut melius, aut magis pie Deos quisquam honorare possit, quam eo modo quo ipsi præcipiunt? Oportet igitur non prætermisso quoquam possibili, (quicunque enim id facit negligit Deos) hoc modo Deos honorare sperareque maxima Bona ab ipsis. Quis namque compos Mentis a quoquam alio majora speraret, quam a Diis, qui maxime nobis prodesse possunt? Hæc vero sperare ab eis illum oportet, qui eis placet: Ille vero eis placebit, qui quammaxime illis obediat. Ita *Socrates.* Atque is *Colloquii nostri finis* fuit. *Amicus* hic mihi non quidem adsensus est, adfirmavit tamen se hanc materiam accuratiori examini subjecturum. (*)

(*) Legi nuper Viri Reverendi & Doctiss. A. F. *Ortmanni* libellum non sine voluptate. Inscriptio est: *Betrachtungen über die Gleichgültigkeit gegen die unterschiedenen Arten der Religion.* Is pag. 137. hanc movet quæstionem: *Kan man alle Menschen verdammen, welche nicht von der wahren Religion sind? Und ist es nicht gar zu strenge geurtheilt, und der Gerechtigkeit und Liebe Gottes zu nahe getretten, wenn man meynt, daß alle Menschen, welche doch zum theil das Erkenntniß und die Fähigkeit nicht haben, bloß deßwegen sollen verlohren gehen, weil sie nicht die wahre Religion gehabt?* Ad hanc quæstionem ita respon-

IX.

Quamvis autem Præſtantiſſimo Philoſopho injuriam maximam illatam putem, quod ab Athenienſi

---

det: *Es giebt eine Art Unwiſſenheit, welche ganz unſchuldig iſt. Das iſt, wenn ein Menſch ſich in ſolchen Umſtänden befindet, in welchen er weder Fähigkeit noch Gelegenheit hat, zur Erkenntniß der Wahrheit zu kommen. Kurz, wo es ihm nach allen Umſtänden der Menſchlichkeit unmöglich iſt, die Wahrheit des Erkenntniſſes zu finden, ſo wird ſein Irrthum nicht verdammlich ſeyn. Wir finden vielmehr in der Vernunfft und Schrifft gegründet, daß Gott einen jeden Menſchen über alles dasjenige zur Rechenſchafft ziehen werde, welches ſeinem beſten Wiſſen und ſeinem beſten Vermögen gemäß iſt. Die Straffgerechtigkeit wird in der Zurechnung und dem Urtheil nur ſo weit gehen, als die Schuld der Vergehung und der Vermögenheit des Menſchen gegründet iſt. Und nimmermehr wird die Gerechtigkeit Gottes das von einem Menſchen foderen, was er nicht empfangen hat. Dieſes alles iſt klar genug. Allein wie weit ein jeder Menſch, oder ganze Völker, in dieſer Schuld des Irrthums ſind, das iſt auch nur dem allwiſſenden Gott bekannt. Und darum kan er auch nur alleine darüber Richter ſeyn: Und folglich müſſen wir Menſchen in der Zueignung dieſes Sazes unſer Urtheil ſo wohl in Anſehung der Verdammniß als der Seeligkeit zurükhalten, und dieſes Gott, der aller Welt Richter iſt, überlaſſen. Ich bin völlig überzeugt, daß ein blinder Heide, der von ſeiner Jugend an keinen ſonderlichen Unterricht gehabt hat, und all ſein möglichſtes Nachdenken gebraucht, und nach ſeiner möglichſten Erkenntniß und Vermögen Gott geehret, und Got-*

nienſi Magiſtratu in carcerem conjectus, atque coactus fuerit cicutam bibere; non tamen puta-

 verim

---

tesforcht und Gerechtigkeit geübet, viel Erbarmung und Gnade zu hoffen habe: Und ſo urtheile ich von allen Menſchen, vvelche in gleichen Umſtänden ſind. Ich ſchlieſſe aber in dieſen Umſtänden noch lang nicht alle Heiden ein. Denn vvelche nur irgend Gott erkannt haben, und ihn dennoch nicht geehret als Gott, die vverden keine Entſchuldigung für die Blindheit ihrer Erkentniß haben. So lange denen Heiden das Evangelium noch nicht bekannt vvar, ſo lang vverden ſie nach dem Geſäze der natürlichen Religion gerichtet vverden. Huic adjungo Viri pl. Reverendi & Clariſſimi F. W. *Sackii* judicium de hoc argumento, quod extat parte VII. libri præſtantiſſimi, cujus Inſcriptio: *Vertheidigter Glaube der Chriſten.* Verba ita ſonant: *Man findet zvvar vvürklich, daß diejenigen vvenigen Weiſen unter den alten Heiden, vvelche die Werke der Schöpfung und ihr eignes Herz hauptſächlich zu Vorvvürffen ihrer Philoſophie machten, und dahero beydes eine richtigere Erkenntniß von dem alleinigen Gott und Schöpfer der Welt, und mehr Einſicht von ihrem eigenen verdorbenen Zuſtande erlangten, dadurch auch ſchon mehr zubereitet, und fähig gevveſen vvären, die Offenbarung eines Erlöſers beydes zu verſtehen und mit Freuden anzunehmen.* Socrates (Plato in Alcib. II.) *erkennt ſo gar die Nothvvendigkeit einer von Gott zu ſendenden Perſon, um von der beſten Weiſe ihm zu dienen und zu gefallen mit Gevviſsheit unterrichtet zu vverden, und iſt ganz bereit, alles zu thun, vvas dieſelbe ihm vorſchreiben vvürde, damit er beſſer vverden könnte, als er von Natur ſey.*

verim eum *excuſandum* quod accuſatus *non reſpon-derit.* Secus autem ſentiunt veteres & recentio-res; quo jure neſcio. *Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. I.* cap. 29. ait: *Socrates nec Patronum quæſivit ad ju-dicium capitis, nec judicibus ſupplex fuit, adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non a ſuperbia.* Vid. & Lib. de Orat. Cap. 54. *Maximus Tyrius* Diſſert. 39. idem defendere vo-luit, poſt eum J. *Clericus* in *Sylv. philologicis.* Ju-vat ergo, cum materia ipſa digreſſionem non re-ſpuat, paucis hanc quæſtionem excutere. Eum in finem argumenta adducam, quibus induci me paſſus

---

Warum ſollte denn aber eine ſolche Gemüthsbeſchaffen-heit und Bereitvilligkeit zu glauben und zu thun, vvas eine Offenbarung vorſchreibt, in dem göttlichen Gerichte nicht als ein vvürklicher Glaube angeſehen vverden? Die Gemüthsbeſchaffenheit, die Bereitvillig-keit ein Chriſt zu vverden, macht nach dem Urtheile Gottes einen vvürklichen Chriſten. Iſt der Glaube und das Chriſtenthum eines ſolchen Menſchen nicht entvvi-kelt, vveil ihm die Vorvvürffe deſſelben namentlich un-bekannt ſind, ſo iſt ſolches ſeine Schuld nicht, und muß ihm vor Gott zuſtatten kommen; vvas ein Apoſtel Jeſu Chriſti ſagt (Rom. X: 14.) *Wie ſollen ſie glauben, von dem ſie nichts gehöret haben. Ich vvenigſtens kan mich nicht entſchlieſſen, dem höchſten Weſen zu zu-ſchreiben, vvas ich mir nicht getraue, einem ehrlichen Manne zu zuſchreiben. Gott vvird nicht erndten, vvo er nicht geſäet hat, ſondern den Erdboden richten mit Gerechtigkeit und die Völker mit Recht.* Denique his adjungendus eſt *Cl.* & *acutiſſimus Foſterus* Serm. Sac. Volum. III. orat. prima.

paſſus ſum, ut credam Eximium Virum male egiſſe, atque dein *Max. Tyrii* & *Clerici* excutiam rationes in contrarium allatas. Pro certo pono, *Socratem* fuiſſe innocentem, injuſtiſſimeque accuſatum, quod omnes, qui de hoc argumento agunt, concedunt Nota ſunt accuſationis capita, quæ graviſſima erant. Non agebatur de re nihili, quæque a cordato quovis facile ferri poſſet, & deberet; Sed momentoſa cum maxime. Vitia illi impacta talia erant, ut merito Athenienſes pro more ſeculi & opinionum, quibus erant imbuti, in eum animadvertere poſſent. *Socrates* innocentem ſe eſſe exiſtumavit. In tali caſu Vir bonus & innocens tacere non debet. Agitur de exiſtimatione ſua, quam omnes boni tueri debent. Cum neglecta nominis fama ſæpe multa mala conjuncta ſunt; multi, quando vident nos accuſatos rerum turpiſſimarum tacere, peſſime de nobis ſentiunt. Verbo; *aut truncorum adinſtar* omnium etiam nequiſſimorum nebulonum ſputa excipienda omniumque inſultationi quotidie obnoxii eſſe debemus, *aut oportet nos defendamus*, & quidem ubi in Civitatibus degimus, coram judice. At prius pati non debemus, niſi inepte adſtruas, quo quisque melior ſit atque innocentior, eo minorem exiſtimationis rationem eum habere debere. Nihil reliqui ergo eſt, quam ut publice accuſati, publice etiam innocentiam noſtram defendamus: oportuit igitur etiam *Socratem* hoc facere. 2.) *Socrates* haud ignorabat accuſationem illam non ſolum gravem eſſe, ſed & cum vitæ discrimine conjunctam. Ex amicis etiam, & conſuetudine Patriæ cognoſcebat, quid futurum eſſet ſi innocentiam ſuam legitime probaturus non eſſet: at omnes

boni tenentur omnia facere, quæ ad vitam hanc ab Optimo Numine conceſſam, tuendam, atque conſervandam facere poſſunt. Ipſemet faſſus *Socrates* Deum nos in vitam hanc tanquam in ſpeculam poſuiſſe, e qua ſine Imperatoris ſummi vitæque ac necis Domini juſſu discedere non liceat. Pulchrum quidem eſt, ſi Vir bonus mortem haud timet; ſed intrepide eam exſpectat: at tum demum, hoc fieri oportet, quando torrenti ſe opponere non poteſt, neque ad vitam conſervandam præſidium ullibi invenit. At talis non erat ſtatus *Socratis*. 3.) Res erat peſſimi exempli, negligere defenſionem in hoc caſu; & quidem tum reſpectu hoſtium ſuorum, tum eorum, qui amore Philoſophiæ ipſius capiebantur. Quod hoſtes attinet, notum eſt ſucceſſum improborum plures allicere: plebs difficulter veri nominis Philoſophos, a Sophiſtis distinguere poterit: Facile ei perſuadere potuerunt infenſiſſimi hoſtes, *Socratem* innocentem non eſſe, qui cum omnes reprehenderet, ſe ipſum tamen defendere non ſuſtineret; Eum alto ſupercilio contemnere ipſum Magiſtratum; eos mores eſſe Philoſophorum, in aliorum vitiis cernere acutum, accuſatos autem & convictos ſcelerum, piſce magis mutos eſſe. Accedebat, quod plebs haud ignoraret, *Socratem* de Religione publice recepta non per omnia recte ſentire; hinc facile calumniæ ſuæ aliquam conciliare potuerunt ſpeciem hoſtes: quod ſi vero publice ſe defendiſſet, atque nequitiam ſuorum accuſatorum ad oculum demonſtraſſet; ſine dubio omnes boni ira in illos exarſiſſent, atque dignam tantis calumniis pœnam tuliſſent. Quod ſi vel maxime Magiſtratus, pravis ſtudiis corruptus, eos dimiſiſſet

miſiſſet impunitos, omnibus tamen innotuiſſet, quanta eſſet Celeberrimi & de Patria optime meriti Virtus atque Præſtantia, atque in poſterum rabida continuiſſent ora. Quod ſi ab altera parte fidos *Socratis* diſcipulos, amore præceptorum ejus incenſos, contemplemur, & hoc reſpectu res erat mali exempli. Facile homines ab amore veritatis & virtutis abducuntur. Rari ſunt, qui animum ita contra metum & ſuſpiciones omnes obfirmarent, ut in omnibus vitæ caſibus a recto tramite non deflectant. Cum *Socrates* ſui defenſionem neglexerat, quidam non ſatis confirmati credere poterant, Philoſophiam ipſius & præceptiones non omni prorſus erroris deſtitui ſuſpicione: immo exemplo hoc a Virtutis etiam ſtudio deterreri poterant. Videbant, quibus inſidiis Vir bonus eſſet expoſitus, & quodnam ſit innocentiæ præmium. Præſtare igitur, a cætera hominum turba non diſſentire. Quod ſi autem ſtrenue ſe defendiſſet, & cauſſam ſuam coram Judice egregie peroraſſet, Virtutisque & Sapientiæ, ad quas cunctos adhortabatur, pulchritudinem & neceſſitatem oſtendiſſet, paratumque ſe demonſtraſſet, pro præceptionibus ſuis vitam profundere; nullus dubito, quin diſcipuli majoris & Præceptorem & Philoſophiam ipſius æſtimaturi fuiſſent: vidiſſent enim hoc Præceptoris exemplo, eam eſſe Veritatis rationem, ut nullius hominis Auctoritate deprimi, nullis calumniis obfuſcari poſſit. Accedit quod 4. loco) notandum, *Socratem* judicium Magiſtratus adverſus ſe latum facile ſubterfugere potuiſſe. Judices ipſi eum interrogarunt, quanti æſtimaret litem cum pecuniæ mulctam imponere vellent: at publica defenſione oſtende-

re potuiſſet, nonſolum nulla pecuniæ mulcta ſe dignum, nedum mortis ſupplicio; ſed ſe inſuper omnia boni Civis officia præſtitiſſe. Norat inſuper amicorum in ſe ſtudia; mulier ipſa, licet non optimæ notæ, ora lachrymis ob conſtantiam in propoſito manendi rigavit. Non equidem opus erat, ut miſericordiam Judicum imploraret Vir innocentiæ ſuæ probe conſcius; at ab altera parte ad profeſſæ mortis audacem viam ſine defenſione ire, atque amicorum omnium ſtudia negligere, hominis eſt equidem non perterriti, at non item gravis, & ſuorum curam habentis. (5.) Denique ſi *Socrates* in animum induxiſſet ſuum, morte veritatem confirmare, tum vel maxime neceſſaria fuiſſet ἀπολογια. *Socrates*, uti ex Scriptis cumprimis *Xenophontis* patet, videtur de Unitate Numinis fuiſſe perſuaſus, convictus etiam Deos publice receptos indignos eſſe, cultu hominum ſapientum. Hîc ergo egregiam habuiſſet occaſionem Cultum unius Numinis publice explicandi, defendendi, inculcandi, commendandi atque demonſtrandi, ſe, ſiquidem hac via ad mortem graſſandum ſit, paratum eſſe pro veritate publice annunciata mortem obeundi. Dubium non eſt, quin libere adeo loquendo mortem ſibi acceleraviſſet; at tum, quod Philoſophum & Virum gravem decet, feciſſet; & quis dubitet, quin Oratio Viri auctoritate & ætate venerabilis ſtimulos in animis Audientium relictura fuiſſet? quis dubitet, quin perſuaſio de uno numine altiores radices egiſſet in animis hominum, quam id factum eſſe ſcimus? ſaltem omnes majori eum laude dignum exiſtumaſſent, ſi ingenua confeſſione Veritatis & Innocentiæ ſuæ demonſtratione, in periculum

mortis perveniſſet, quam ea neglecta. Denique licet magnifice de Eximio Viro ſentiam, laudare tamen non poſſum reſponſionem ipſius, Magiſtratui quærenti, quanti litem æſtimaret datam. Teſte enim *Laërtio* Lib. 2. pag. 43. reſpondit: Ἕνεκα τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων τιμωμαι τὴν δίκην τῆς ἐν πρυτανείῳ σίτησεως. Hoc enim reſponſo ira concitati Judices capitis eum damnarunt. Philoſophi haud erat, & Viri gravis, judicum animos ad majorem iram provocare, ſed modeſta reſponſione quid ſibi videatur, exponere. Hæc ſunt, quæ me impediunt, quo minus recte egiſſe Eximium Virum putem. At audiamus jam *Max. Tyrii* rationes in contrarium allatas. Sequemur verſionem D. *Heinſii*, atque uncinulis quibusdam includemus *Maximi* verba: Poſtquam qua ratione accuſatus *Socrates* ſeſe geſſiſſet, oſtendit, ita pergit pag. 407. edit. *Daviſii*: „ Sin igitur ulterius videa„ mus rectene id a Socrate factum ſit, an ſecus? „ Quid ſi igitur ad nos veniret aliquis qui narra„ ret, Athenis fuiſſe hominem, ætate profectum, „ profeſſione Philoſophum, fortuna pauperem, „ indole eximium, eloquentia magnum, mentis „ acumine majorem, vigilem, ſobrium; qui „ nec quicquam temere egiſſet, nec verbum ul„ lum effutiiſſet: idem poſtquam diu inter ho„ mines vixiſſet, nec ullus eſſet in tota Græcia „ indolis homo eximiæ, quem non in admira„ tionem rapuiſſet ſui, ſicut & e Diis ipſum A„ pollinem, tamen cum invidia paulatim & in„ dignatione, eoque, quo pleraque mortalium „ gens laborat honeſtatis odio, multi in eum in„ ſurgerent; ex theatro Ariſtophanes, e Sophiſtis „ Anytus, e Sycophantis Melitus, ex Orato„ bus

„ bus Lyco, quorum hic in Comœdia tangebat
„ hominem, ille litem intendebat, tertius no-
„ men deferebat, quartus accuſabat, reliqui om-
„ nes judicabant: hic ita ſe geſſit, ut primo in
„ Ariſtophanem inveheret, mediaque in Athenien-
„ ſium urbe ipſis Dionyſiis, ebriis adhuc Judi-
„ cibus, comicis contra convitiis hominem pro-
„ ſcinderet: Illinc in Judicium ſe contulit, ubi
„ verbis cum adverſariis velitatus eſt prolixaque
„ Oratione cauſſam ſuam egit arte, quæ non dif-
„ ficulter a Calumniis Judicum averteret animos.
„ Nam & ad captandam Curiæ benevolentiam
„ exordia direxit, & ad fidem faciendam narra-
„ tiones, ſignis vero argumentisque & ſimilibus
„ rationibus, quod vellet demonſtravit. Teſtes
„ etiam opulentiſſimos, quorum res fidesque
„ ſpectata eſſet judicibus in medium adduxit:
„ tum ſuppliciis, precibus, obſecrationibusque
„ orationem concluſit, neque non lachrymulam,
„ ſicubi eſſet, opus, effudit. Xantippen poſtre-
„ mo ejulantem adduxit, quæ infantes judicibus
„ vagientes oſtenderet. Quibus omnibus cum
„ animos coronæ tractaret, miſerti abſolverunt
„ hominem ac dimiſerunt. Præclarum Hercules
„ Victorem! Recta videlicet illinc in Lyceum,
„ aut Academiam, reliquosque Philoſophorum
„ hortos læto hilarique ſe contuliſſet vultu: non
„ ſecus ac qui ex hyberna tempeſtate redeunt
„ ſuperſtites. Quomodo autem ferre hunc Viri
„ reditum Philoſophia potuiſſet? non magis quam
„ Athletam ſine ſudore, ſine pulvere, ſine icti-
„ bus aut vulnere e ſtadio cum corona redeun-
„ tem, nec ullum pulchræ virtutis præ ſe veſti-

„ gium

„ gium ferentem, unguento tantum delibutum
„ Palæſtræ Præſectus. „

Satis ex initio & progreſſu hujus Orationis patet, *Maximum* artis rethoricandi potius, quam recte, & ordine ratiocinandi fuiſſe peritum. Induit *Socrati* perſonam, quam agere nunc non debuit; quis enim, cum adſerit defenſione opus fuiſſe *Socrati*, poſtulat, ut cum *Ariſtophane* cæterisque convitiis quaſi de palma certaret, aut phalerata dicendi uteretur ratione? *Verba innocenti invenire facile eſt*, inquit *Darius apud Curtium*. Modeſta, gravi & maſcula Oratione opus erat, ad Innocentiam ſuam probandam; non muliebri ejulatu, aut potentiorum patrocinio. Hæc igitur quæ adfert *Maximus* prorſus ad rem non pertinent. Hoc unum pone, *Socratem* Virum excellentiſſimis virtutibus ornatum, de Patria & civibus in univerſum omnibus optime meritum, at a maleferiatis hominibus graviſſimorum ſcelerum, ſpretæ Religionis, corruptæ Juventutis &c. temere accuſatum, publice coram Judicibus innocentiam ſuam gravi & modeſta Oratione demonſtrare, atque impacta crimina a ſe amoliri. Pone, inquam, hoc unum, & quid eſt, quod in Philoſopho reprehendas? quid alienum tandem a gravitate Viri boni & ſapientis? hac ſi uſus eſſet ſui defenſione, aut fuiſſet damnatus, aut abſolutus. Si *damnatus*, feciſſet ſaltem quod Virum bonum decet, cæteraque Deo fuerant permittenda. Si *abſolutus*, quis bonus non laudaſſet intrepidum Viri animum, atque Innocentiam? quis non execratus fuiſſet impudentiſſimorum & nequiſſimorum hominum mordacitatem, & calumniandi

niandi rabiem? At pergit *Maximus*: „Quare iis „ autem Athenienſibus cauſſam probare ſuam co- „ natus eſſet Socrates? tanquam judicibus? at „ injuſti erant. Tanquam prudentibus? at de- „ mentes erant. Tanquam Viris bonis? at im- „ probi erant. Tanquam benevolis? at ſuccen- „ ſebant Socrati. Tanquam ſimilibus? at diſſi- „ millimi erant. Tanquam melioribus? at dete- „ riores erant. Tanquam deterioribus? at quan- „ do unquam deteriori cauſſam ſuam probare co- „ natus eſt melior? quid autem pro ſe attuliſſet? „ Philoſophum ſe negaſſet? mentitus eſſet. Phi- „ loſophum ſe confeſſus eſſet? hoc ipſum erat „ cur ſuccenſerent.„ Mera rethoricatio, omni argumentorum pondere deſtituta. Eodem argumento probarem, innocentiſſimo cuique temere accuſato defenſionem juſtiſſimam abjiciendam, cunctaque toleranda, aut locum non habere defenſionem, niſi in conſeſſu Virorum omni ſuſpicione iræ, amoris, gratiæ, odii plane vacuorum. At quo tandem in terræ angulo ſunt judices illi? cur *Plato tuus* in ſuggeſtum aſcendere eumque coram Judicibus defendere voluit? num inſanivit *Maximi*, *Præceptoris*, *optimus diſcipulus?* falſum eſt, omnes judices male de *Socrate* ſenſiſſe, ex ſuffragiis enim ante latis contrarium patet. Si Judices pravis ſuſpicionibus & ſtudiis capti erant, meliora fuiſſent edocendi. Ea etiam eſt virtutis atque innocentiæ vis, ut vel duriſſima emolliat hominum nequiſſimorum corda. Neque opus erat, ut ſe vel eſſe, vel non eſſe Philoſophum affirmaret. De hoc enim non agebatur. Satis notum erat, quis *Socrates* eſſet. „ Sed ponamus „ (ita pergit Rhetor) nihil horum ab eo dicen-

„ dum

„ dum fuiſſe, ſed diluendum ſolummodo crimen.
„ Falſum eſſe nempe quod aut juventutem cor-
„ rumperet, aut Deos novos induceret. At quis
„ imperito artis ea perſuadeat, quæ ſine arte ea
„ cognoſci non poſſunt. Unde enim ea Atheni-
„ enſibus peritia, ut quæ ſit corruptela Juventu-
„ tis, quæ Virtus, quis ſit Deus, quo pacto
„ colendus, poſſint aſsequi? nec enim curant
„ mille illi Judices quos faba creavit; nihil de
„ his Solon ſcripſit nihil de his venerandæ illæ
„ Draconis præcepere leges. Sed in jus vocare,
„ deferre, accuſare, rationem facti expoſcere,
„ juramentum calumniæ exigere, aut præſtare,
„ aliaque ejusmodi, hæc ſunt de quibus Curia,
„ quam ibi Heliæam dicunt, pronuntiat. Non
„ aliter quam in puerorum turba, qui de talis
„ ſuis inter ſe velitantur: quos alii injuſte aufe-
„ runt, alii injuſte amittunt. Veritas autem &
„ virtus vitæque probitas alios judices, alias le-
„ ges, alios poſtulat Patronos. Quorum judicio
„ vicit Socrates, coronam accepit, laudem me-
„ ruit. Quis vero non rideret & Senem & Philoſo-
„ phum, qui talis cum pueris luderet? aut quis un-
„ quam Medicus febricitanti perſuaſit, famem ſitim-
„ que conducere? aut intemperanti malam eſſe vo-
„ luptatem? aut quæſtui intento non in bonis
„ eſſe quod petit? Id ſi poſſe fieri demus, etiam
„ Socratem facile Athenienſibus perſuadere po-
„ tuiſſe, virtutis cultum corruptelam non eſſe ju-
„ ventutis, concedam: nec qui vere Deum no-
„ verit, circa Deos peccare. „ At verba hæc
ſunt prætereaque nihil. Si Judices illi adeo fue-
runt ſtupidi, ut neſciverint, quid ſit Virtus, quid
Deus, quid corruptio Juventutis, cur tandem

eum

eum in jus vocarunt? Si non magis ſciunt quæ poteſtas vocabulo Virtutis, Numinis &c. ſubſit, quam *Ariſtophanes* ſuo φλαττοτραττοφλαττοτραξ cur tantum accuſatoribus pretium ſtatuunt? Quî fit, ut judices illi adeo ſtupidi, & barbari, mortuo *Socrate* ſtatim mentem mutaverint? Ἀθηναιοι δε ευθυς μετεγνωσαν ὡστε κλεισαι και παλαιστρας και γυμνασια. Και τους μεν ἐφυγαδευσαν. Μελητον δε θανατον κατεγνωσαν. Σωκρατη δε χαλκην εικονα ἐτιμησαντο, ἡν ἐθηκαν ἐν τω Κεραμεικω Λυσιππου ταυτην ἐργασαμενου. Ἀνυτον δε ἐπιδημησαντα ἀνθημερον ἐξεκηρυξαν Ἡρακλεωται, ita loquitur *Laërtius*. Idem confirmat *Plutarchus*. Cum igitur Judices mortuo *Socrate* ſtatim mentem mutaverint, Virique Eximii innocentiam publice agnoverint, eo ipſo conſtat, amorem virtutis ex eorum animis non fuiſſe prorſus ejectum. Quod ſi igitur *Socrates* publice cauſſam ſuam peroraſſet, quo erant ingenio Judices, abſolutioni locum conceſſuros fuiſſe non incredibile eſt. Nec opus erat, ut Judices doceret, Deum colere, non idem eſſe, ac corrumpere juventutem. Probe enim hoc callebant Judices. Cujus hoc certum erat indicium, quod *Ariſtophani*, cæterisque, vacivas præbuerunt aures. Probandum duntaxat erat *Socrati*, ſe omnia feciſſe, quæ ad Juventutem emendandam aliquid conferre poſſent: præceptaque Philoſophiæ a ſe tradita ita eſſe comparata; ut omnibus in univerſum civibus prodeſſent. „ At pergis, aut hæc juxta ſciverunt cum „ Socrate, aut Socrates ſcivit, illi ignorarunt. „ Quod ſi ſciverunt, quid Oratione opus fuit „ cum ſcirent? Sin ignorarunt, non defenſione „ illis opus fuit, ſed ſcientia. „ Eodem ſane argumento probare poſſet, fruſtra innocentiſſimum quem-

quemque falſo accuſatum ſe defendere debere. Certe non quærebatur in Judicio, utrum is, qui virtutem coleret, juventutem corrumpat, nec ne? Sed hoc tantum, utrum Deos patrios negligeret, malas artes edoceret nec ne? Ergo non tanquam Præceptor prima Philoſophiæ & Religionis præcepta edocere debuit Judices; ſed calumniam tantum dispellere. Si tanta fuiſſet eorum Ignorantia, ut virtutem a vitio distinguere non potuerint, (quod tamen nemo *Maximo* credet) ejus fuiſſet, imaginem rei omnium pulcherrimæ Judicibus exhibere, & quam male ſine virtute Respublica adminiſtretur, oſtendere. „ Virtus vero probitasque unum habet, quo ſe „ tueatur; ſui Reverentiam. Quæ cum eo tem„ pore Athenis nulla eſſet, quid Oratione opus „ fuit Socrati? „ Verum eſt eam eſſe Virtutis & probitatis indolem, ut omnium hominum Reverentiam & amorem in ſe convertere deberet. At, eheu ſatis experientia docet, probitatem ſæpe ludibrio haberi. Nunquam *Socrates* accuſatus fuiſſet, ſi virtutis amore ullo ducti fuiſſent Athenienſes. At num ſequitur: Virtus, probitas & innocentia non magni habetur a malis hominibus; ergo probis & innocentibus omnia ſunt perferenda? ergo defenſionem ſui optimi quique omnem prorſus debent abjicere? ergo publice innocentium patrocinium non eſt ſuſcipiendum? „ Cedo conſe„ quentiam. Quid Oratione opus fuit Socrati? „ inquis ut ſe morti, ſi Diis placet, ſubduceret. „ Atqui ſi præcipue vitanda Viro bono mors ſit, „ aliud ſpectandum fuit Socrati? Non ut judici-

„ bus

„ bus cauſſam oratione probaret ſuam: verum „ ut nec Melitum offenderet, nec Anytum taxa- „ ret, nec Athenienſium vitiis bellum indiceret: „ nec ut tanquam communis vitiorum cenſor, „ durus & inexorabilis, qui nihil humile, nihil „ blandum, nihil ſervile, aut demiſſum inſuſur- „ raret cuipiam, totam circuiret urbem: homi- „ numque cujuscunque generis fortunas, artes, „ inſtituta, ac libidines examinaret libere. „ At ego, inquam, non vitanda eſt Viro bono mors, quando alia ratione conſcientiæ non ſatisfacere poteſt: ſed antequam eam ſubit, omnia quæ licita, juſtaque, tentanda ſunt, ad eam evitandam. Prodeſſe enim poſſunt Patriæ, Reipublicæ, Civibus; neque excuſari poſſunt, ſi ad calumnias graviſſimas ſilent, vitamque tædio quodam rerum humanarum commoti, amittunt. *Socrates* erat innocens: ergo par erat, ut coram judice publice innocentiam ſuam demonſtraret, immo fateretur, ſe vitiis bellum indixiſſe, mores Athenienſium taxaſſe, laboraſſe, ut *Anytus* & *Melitus* ad emendatius vivendi genus adducerentur. Hoc ego voco Judicibus cauſſam ſuam Oratione probare. Hoc poterat facere, & præſtare tenebatur. Contrarium quod injicit *Maximus*, verba ſunt, prætereaque nihil. Supponit enim omnes judices jam ante Apologiam in necem ipſius conjuraſſe; quod probari non poteſt; & ſi verum eſſet, nondum tamen juſta fuiſſet abjicienda ſui defenſio. At ais, hoc idem eſſet ac ſi miles clypeum abjiceret. Quid ego, audio? num ille clypeum abjicere dicendus eſt, qui omnia facit, quæ ad vitam, famamque defendendam facere poſſunt? qui mortem oppetit quidem,

dem, at innocenter, & violenter illatam? an non potius argumentum poſſumus invertere, atque dicere, intrepidum illum Philoſophum, qui publice pravos mores hominum taxando iram multorum in ſe provocaverat, ab iniquis accuſatum, nihil præſidii in Philoſophia, & naturali Eloquentia qua pollebat invenire, ſtatimque, cum facile calumnias dispellere liceret, haſtam abjicere? „ At quis ferre potuiſſet, inquis, ſtantem in „ Senatu Socratem humilem, dejectum, vitæque „ ſuæ ſpes ab aliis emendicantem.„ Datur tertium inter vappam & avarum, inter humilem abjectum & ſuperbia tumidum; non opus ſine dubio fuiſſet ut *Socrates* timidi & humilis inſtar rei vitam exoraſſet, & veluti emendicaret; at nec ab altera parte contemnere debuit Judices, Eruditione, Sapientia, ſe inferiores, aut acri ſtylo & acerbis verbis eos perſtringere. Hoc unum requirebatur, ut ſerena fronte, modeſte, graviterque, cauſſam ſuam peroraret, atque, quam innocenter calumniis atrociſſimis ſit impetitus oſtenderet. At ais hoc non defenſio fuiſſet, ſed iræ irritatio, ſed flabellum. Ita eſt, ſi omnis modeſta licet, juſtaque defenſio, irritatio dicenda: at quæ cauſſa eſt, cur hoc nomen tamen liberæ defenſioni imponatur? Sed irritaverit tandem quosdam Judicum, quid tum? quoties tandem multorum, quos emendare voluit, animos a ſe reddidit alienos, num tacuit propterea, animumque abjecit? aliud docet vitæ univerſæ curſus. „ Quam autem neceſſaria, inquis porro, apud Ju„ dices hos fuerit defenſio, vel hinc apparet. „ Annos ſeptuaginta habebat Socrates, cum in„ terea nec a Philoſophia, nec a virtute feciſſet „ divortium: vitæ ſtadium ſine offenſione ulla,

„ ſine vitio decurrerat: victus ejus purus, con-
„ ſuetudo proba: neminem compellabat, cui
„ non prodeſſet, nemini ſe jungebat, quem non
„ meliorem redderet. Hæc omnia nec a Judi-
„ cum ſententia, nec a vinculis, nec a morte
„ eum vindicarunt: aquæ vero hydria breve O-
„ rationi ſpatium datura abſolviſſet Socratem? „
Merus hic eſt *Paralogismus*. Nimirum Vir integer, ſcelerisque purus, de Republica præclare meritus, confectus jam ætate, graviſſimorum ſcelerum accuſatus tacere debet: ratio eſt, quia mox vel ſine hoc, naturæ debebit reddere ſuum debitum; quam firma ſit hæc ratiocinatio nemo non videt. Certe gravis illa, aperta, & maſcula peroratio coram Judice nullum potuiſſet famæ ejus detrimentum adferre; ſed oſtendere potius, quam deteſtanda ſit, & abominabilis hoſtium ejus malitia. Addidiſſent rugæ ſeniles, & gravitas Viri nota defenſioni aliquod pondus. Quid enim præclarius, quam in conſeſſu Judicum, & frequentia ſpectatorum, delatorum calumnias, enumeratione univerſæ vitæ recte transactæ, abstergere, ad ſuam cæterorumque civium conſcientiam provocare & hac ratione omnibus ſpirans aliquod vitæ recte transactæ Exemplar ſpectandum exhibere? quod ſi igitur brevi temporis ſpatio quo cauſſam ſuam peroraſſet, efficere non potuiſſet, ut abſolveretur; ſaltem officio ſuo feciſſet ſatis, fraudesque hoſtium in apricum produxiſſet: „ Sed
„ inquis tandem, nec poterat hoc Socrates, nec
„ ſi potuiſſet, voluiſſet tamen. Id vero Jupiter,
„ & quicquid usquam eſtis Deorum avertite.
„ Hoc enim tale eſt, ut ſi quis in Caſtris Syco-
„ phanta Leonidem illum Spartiatam adiiſſet, ſua-
„ ſiſſetque ut paulum recederet, neque primum

„ Xerxes

„ Xerxis ſuſtinuiſſet impetum. Ille nihil audivis-
„ ſet credo, ſed ibidem cum virtute ſua & armis
„ terram mordere, quam ſuperſtes Regi barbaro
„ monſtrare tergum maluiſſet. Quid aliud futu-
„ ra erat Socratis defenſio, quam tergum obver-
„ tere, animo deficere, quam timor ſpecioſus?
„ manſit igitur, impetum excepit, ſtrenue rem
„ geſſit. - - Mortuus eſt Socrates. Damnati au-
„ tem fuerunt Athenienſes. Judex eorum Deus
„ fuit & veritas. „ Reſpondeo: Non poterat ſe contra hoſtes plane malignos, & nullis rationibus cedentes a morte liberare; ſed poterat tamen innocentiam ſuam omnibus facere manifeſtam. At noluit: ita eſt: at hoc ipſum eſt propter quod eum accuſamus. Nec meticuloſus eſt, qui cauſſam ſuam ſtrenue defendit: nemo negat interim injuſte damnatum *Socratem*, nemo negat eum hoſtium inſidiis circumventum; nemo tandem inficias it, Deum judicem eſſe cujusvis ſupremum. At non hoc eſt de quo agitur. Quæritur duntaxat, utrum recte fecerit, quod gravisſimorum criminum poſtulatus, altum tenuerit ſilentium. At expendamus ſimul rationes, quibus uſus eſt, Cl. *Clericus* ad probandum, non male feciſſe *Socratem* ſui defenſionem intermittentem. *Sylv. philolog.* Cap. 3. Sect. 8. p. 217. fere iisdem rationibus utitur, quibus *Maximum* uſum fuiſſe, jam jam audivimus. Breves ergo erimus in refutandis rationibus: Poſtquam cauſſas accuſationis enarraſſet, addit: „ Si demiſſa oratione uſus
„ oratorias artes, quibus invidiam molliret, &
„ miſericordiam moveret, quod difficile factu
„ non erat, adhibuiſſet; potuiſſet, ut videtur,
„ miſericordia Judicum elabi. Sed cum ſciret,
„ ſe de Patria, de veritate, deque Civium mori-

„ bus optime eſſe meritum, conſcientiaque an-
„ teactæ vitæ ſecuriorem redderet; omnia quæ
„ ad abſolutionem facere poterant, præter unam
„ innocentiam flocci fecit. „ At hæc non ita comparata ſunt ut probent, recte feciſſe tantum Virum. Religio chriſtiana, quæ nonniſi pacem, tolerantiam, atque modeſtiam ſpirat, atque arctius hominis actiones ad virtutum omne genus conſtringit, nonſolum permittit modeſtam ſui defenſionem; ſed & poſtulat eam aliquando, ne veritas ipſa ſilentio intempeſtivo detrimentum patiatur. Ipſa *Doctiſſ. Viri verba, quæ in additamentis ad Hamondum & quidem ad Math. Cap.* 5. v. 39. oſtendunt mea opinione, quid Viro bono in hoc caſu faciendum ſit; *voce inquit ἀνθίστηναι ſignificatur obſiſtere, eodem modo ac injuria fit; ſive manu, ſive in jus vocato eo, qui injuriam impoſuit. Non vetat Chriſtus nos obſiſtere, verbis, quibus oſtendamus hominibus injuriis, prave ſe eos erga nos gerere, aut antevertere & propulſare injuriam ſine maleficio.* Et paucis interjectis: *Statuendum tamen hîc eſt injuriam eſſe tolerandam, ferrique eam poſſe ſine nimia ejus, qui eam patitur, jactura, aut ſine familiæ nimio incommodo. Neque enim putandum eſt Chriſtum jubere bonos malorum ſeſe ictibus conteri pati, aut vitam etiam NB. excitio exponere, familiæque quodvis dedecus ferre potius quam ut ad Magiſtratum querelas deferant. Eo modo excluderentur ejus diſcipuli omnibus Societatibus; ubi boni non poſſunt ſe tueri contra malos, niſi ope Legum & Magiſtratuum, qui eas executioni mandari curant. Deus qui Auctor eſt Societatis humanæ, omnia ſine dubio probat, quæ ad illam ſartam ac tectam tuendam neceſſaria ſunt; ac proinde perfugium ad Magiſtratus, quando ſine eorum auctoritate, gravem injuriam propulſare non poſſumus.* Ita ipſe *Vir Summus.*

mus. Cum autem Religio chriſtiana ſecundum ipſum *Clericum*, hoc permittat, facile eſt conjicere, nihil in ratione eſſe, quod illam defenſionem proſcribat. Immo civilis Societatis leges poſtulant potius, ut ſupra ſatis monuimus. *Socrates* autem pulchre ſcivit, quam atrox, & periculi plena ſit illa accuſatio hoſtium. „ Quinimmo „ (ita pergit Cl. Vir) morte ſua præter jus & fas „ damnatus, multo plus Philoſophiæ proderat; „ quam potuiſſet longiore vita, ſi nunquam ac„ cuſatus fuiſſet, & in lectulo decumbens morbo „ aut ſenectute obiiſſet. Oſtendit conſtanti ac „ ac impavida morte, ſe non verbis, ut multi „ alii, ſed animo Philoſophiæ, hoc eſt veritatis & „ virtutis amori addictum fuiſſe. Hinc demum „ certo intelligere fuit, Judicium Vulgi, & quæ„ cunque ad veritatem & virtutem non pertine„ bant, ab eo revera contemta fuiſſe. „ At hæc non tollunt juſtam ſui defenſionem; potuiſſent hæc omnia contingere, licet publica uſus eſſet Apologia. Vita, quam adhuc prorogare potuiſſet, in gratiam Calumniatorum non erat ammittenda. Dum ſpatium vivendi conceſſiſſet Numen, multis potuiſſet prodeſſe; Innocentia ipſius coram Judice demonſtrata virtutibus, quibus eluxit per vitam, ſplendorem maximum adjeciſſent; quod ſi tamen abſolutus non fuiſſet, non minus conſtanti & impavida morte oſtendere potuiſſet, ſe Philoſophum eſſe, qui & vivere & mori recte ſciat. Certe ſpes beata immortalitatis, quam habet Vir bonus non poſtulat, ut ad mortem præceps ſine cauſſa ruat. „ At effecit, (inquit Cl. „ Vir) fortiter moriendo ut brevi populum A„ thenienſem damnati Philoſophorum ſapientiſſi„ mi & innocentiſſimi pœniteret; amoremque

„ philoſophandi in multis auxit, aut accendit, „ ac denique diſcipulis animum fecit plura au- „ dendi. „ At num propoſita Apologia, ſi moriendum fuerat, idem obtingere non poterat? num præſcivit quid Athenienſes eſſent cogitaturi? an certum erat, vel audita etiam Apologia judices, tam grave peccatum commiſſuros? hoc poſtremum falſum eſſe, vel ex eo liquet, quod ſtatim poſt illatam mortem, eos doleret turpiſſimæ actionis. Nimirum innocentem boni omnes eum judicabant. An non innocentiæ rationes, quas adduxiſſet *Socrates* publicæ æque fuiſſent futuræ validæ, ac aliorum hominum judicia? libertatem philoſophandi hac ratione auctam non credo. Ipſe *Cl. Vir* pag. 203. ad illud *Platonis*: Conditorem univerſi invenire difficile, ait: *nempe ſine maximo & præſentiſſimo periculo quod a ſuperſtitioſis imminebat.* Neque libera Apologia Veritatis a ſe adſertæ parum confirmaſſet diſcipulos in perſuaſione de eminentia Viri, rerumque ab eo traditarum pretio. Reliqua quæ D. Vir adfert, ſupra, ubi, contra *Maximum* disputavimus, excuſſa ſunt. Occaſione mortis *Socrati* a Magiſtratu illatæ animus erat adjungere digreſſionem de officio Judicis in Calumniis Religionem ſpectantibus. At cum eam prolixiorem futuram eſſe, quam inſtituti noſtri ratio patitur, prævideam, atque ea omnia quæ dici poſſint a Viris Eruditis, qui de libertate conſcientiæ egerunt, ſint diligentiſſime excuſſa, hic finem faciam: conferat interim occaſione mortis *Socratis* B. Lector Ch. *Wolfii* ætatis noſtræ Philoſophi Excellentiſſimi, *commentationem de peccato in Philoſophum*, quæ extat *horis ſubſeciv.* Anni 1730. Omnium enim optime hoc argumentum tractare poſſunt illi, qui iisdem innocentes calumniis obnoxii, atque tantum non eadem experti ſunt fata! At non juvat heic veterem renovare dolorem.